



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Disp. XVII. De scientia infusa animæ Christi,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

mini omnia præsentia, futura, & præterita cognosceret, æquè se extenderet ac scientia visionis Dei: Sed hoc non videtur dicendum: Ergo nec illud. Sequela Majoris videtur manifesta, scientia enim visionis in Deo non se extendit ad merè possibilia, sed duntaxat ad præsentia, præterita, & futura. Minor verò probatur: Cum perfectio scientiæ ex numero objectorum ad quæ se extendit attendatur, si scientia Christi beata, cognoscat omnia quæ Deus scit scientiâ visionis, erit æquè perfecta ac scientia visionis quæ est in Deo: Sed hoc videtur absurdum: Ergo & illud.

63. Respondeo primò, negando sequelam Majoris, ad cuius probationem dici potest, quod objectum adæquatam scientiæ visionis Dei, non solum sunt entia positiva, existentia, vel futura, sed etiam negationes rerum quas Deus decrevit non producere, unde ex eo quod omnia entia positiva, existentia, vel futura, à scientia Christi beata cognoscantur, non sequitur quod attingat objectum adæquatam scientiæ liberæ seu visionis quæ est in Deo.

64. Respondeo secundò, datâ Majori, negando Minorem, ad cuius probationem, distinguo Majorem. Si scientia Christi beata cognoscat omnia quæ Deus scit scientiâ visionis, erit æquè perfecta, materialiter & extensivè, ac scientia visionis Dei, concedo. Formaliter & intensivè, nego. Solutio est D. Thomæ hic art. 2. ad 3. ubi sic dicitur: *Quantitas scientiæ non solum attenditur secundum numerum scibilium, sed etiam secundum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia animæ Christi quam habet in verbo, parificetur scientiæ visionis quam Deus habet in seipso, quantum ad numerum scibilium, scientia tamen Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scientiam animæ Christi, quia lumen increatum divini intellectus, in infinitum excedit lumen creatum quodcumque receptum in anima Christi. Licet absolute loquendo scientia divina excedat scientiam animæ Christi, non solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad numerum scibilium. Quia nimirum scientia Dei, prout est simplicis intelligentiæ (sub qua ratione non distinguitur virtualiter, sed solâ connotatione diversi objecti materialis, à scientia visionis) ad omnia possibilia se extendit, non verò scientia Christi beata, ut docet idem S. Doctor in corpore ejusdem articuli, & nos articulo præcedenti fuse ostendimus.*

DISPUTATIO XVII.

De scientia infusa animæ Christi.

Ad questionem 11. D. Thomæ.

Consideratâ scientiâ Christi beatâ, progredimur ad aliam speciem scientiæ Christi, quæ à Theologis indita seu infusa appellatur: circa quam plures & graves occurrunt difficultates, articulis sequentibus resolvendæ.

Tom. IV.

ARTICULUS PRIMVS.

An & quotuplex scientia per se infusa in Christo admittenda sit?

Pro intelligentia tituli, & hujus difficultatis resolutione, advertendum est, quod scientia potest dici dupliciter infusa, per se scilicet & per accidens. Illa dicitur infusa per accidens, quæ quantum est ex se acquiri potest per proprios actus ipsius intellectus, de facto tamen non sic acquiritur, quia Deus vult se solo illam producere, sicut fuit scientia Adæ, quæ ejusdem erat rationis cum illa quam communiter homines proprio sibi comparant labore, sed tamen per accidens fuit ei à Deo indita. Scientia verò infusa per se, est illa quæ non nisi à Deo causari potest. Quando ergo quarimus in præsentia, utrum in Christo sit scientia infusa, non loquimur de scientia infusa per accidens, seu per se acquisita, sed de ea quæ est infusa per se: de quæ etiam inquiremus, quotuplex illa fuerit in Christo, & an in illo solum fuerit scientia infusa supernaturalis, vel utrum præter supernaturalem, & ad objecta supernaturalia terminatam, alia naturalis, quæ res ordinis naturalis per species infusas modo angelico cognosceret, in eo constituenda sit?

§. I.

Utraque difficultas duplici conclusione resolvitur.

Dico primò: Præter scientiam beatam fuit in anima Christi Domini scientia per se infusa. Ita D. Thomas hic art. 1. & communiter Theologi, exceptis Nominalibus, Alenfi, D. Bonaventurâ, & Durando, qui scientiam tantum beatam, & per se acquisitam tribuunt Christo.

Probatur primò conclusio ex Scriptura, asserit enim Apostolus, omnes thesauros sapientiæ & scientiæ Dei fuisse in Christo reconditos: Ergo necesse est ipsum habuisse scientiam per se infusam, quæ est nobilissima portio scientiæ supernaturalis, quæ ab Apostolo nominatur scientia Dei. Unde Joan. 7. mirantibus Judæis ac dicentibus: *Quomodo hic litteras scit cum non didicerit?* Respondit Jesus: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Hoc est non illam meâ industriâ acquisivi, non ab homine illam accepi neque didici, sed à Patre meo indita mihi fuit.

Addo quod ad scientiam per se infusam supernaturalem spectant dona illa Spiritus Sancti, quæ ad intellectum pertinent: illa autem fuisse in Christo disertè tradit Isaias cap. 11. verbis illis: *Flos de radice Jesse ascendet (Christus) & requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij, Spiritus scientiæ.* Unde multiplices hos Spiritus in Christo solo adunatos observat S. Gregorius 29. moralium cap. 16. ad illud: *Nunquid conjungere valebis micantes stellas Pleiadas?* quod adducto proposito loco Isaiæ, glossat in hunc modum [Redemptor noster in carne veniens, Pleiades junxit, quia operationes septiformis Spiritus, simul in se, & cunctas manentes habuit. De quo per Isaiam dicitur, *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis,*

FFF

Spiritus scientia & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini. De quo Zacharias ait: *Super lapidem unum septem oculi sunt.* Atque iterum: *Et in candelabro aureo lucerna septem.* Nullus verò hominum operationes Sancti Spiritus simul omnes habuit, nisi solus mediator Dei & hominum, cujus est idem Spiritus, qui de Patre ante sæcula procedit. Bene ergo dicitur: *Super lapidem unum septem oculi sunt.* Huic enim lapidi septem oculos habere, est simul omnem virtutem, Spiritus septiformis gratiæ, in operatione retinere. Alius namque prophetiam, alius virtutes, alius genera linguarum, alius interpretationes sermonum, juxta distributionem Sancti Spiritus accipit: ad habenda verò cuncta ejusdem Spiritus munera, nemo pertingit. At verò conditor noster, infirma nostra suscipiens, quia per divinitatis suæ potentiam simul se habere omnes Sancti Spiritus virtutes edocuit, micantes procul dubio Pleiades junxit.]

4. Probatur secundò conclusio ratione D. Thomæ ad hanc formam redacta. Decens fuit ut Verbum humanitatem assumens, illam perfectam assumeret: Sed si scientiâ per se infusâ caruisset humanitas, esset imperfecta: Ergo hujusmodi scientiâ non caruit. Major est certa, Minor probatur. Omne quod est in potentia, imperfectum est, nisi reducat ad actum: Sed intellectus animæ Christi est in potentia ad res creatas in proprio genere cognoscendas per species immediatè infusâ à Deo: Ergo imperfectus esset sine hujusmodi cognitione, & consequenter sine scientiâ per se infusâ, distinctâ à scientiâ beata, quæ sit hujus cognitionis principium, imperfecta foret humanitas Christi.

5. Dices, res omnes in proprio genere per scientiam beatam cognosci ab anima Christi, ac proinde quamvis scientiâ infusâ, à beatifica distinctâ careret, non mansuram in potentia ad hujusmodi cognitionem.

Sed contra: Intellectus animæ Christi est in potentia ad cognoscendas res creatas in proprio genere, non solum ex parte rei cognitæ, sed etiam ex parte mediæ cognoscendi, hoc est taliter quod ipsa entitas creata medium cognitionis sit: Sed quamvis per scientiam beatam cognoscantur in proprio genere, ex parte rei cognitæ, non tamen cognoscuntur in seipsis, ex parte mediæ cognoscendi, cum eas attingat mediante divinâ essentiâ, ut objecto prius cognito, & medio cognoscendi creaturas: Ergo per scientiam beatam non expletur omnis potentialitas intellectus animæ Christi, in ordine ad creaturarum cognitionem, & consequenter illâ posita, & seclusâ cognitione rerum in proprio genere, habitâ per scientiam infusam, potentialis & imperfectus maneret.

6. Confirmatur: Intellectus animæ Christi est in potentia ad creaturarum cognitionem per proprias illarum species immediatè à Deo infusas: Sed hujusmodi cognitio non habetur per scientiam beatam, nam species mediâ quâ lumen beatificum ad creaturas terminatur, est divina essentia primò repræsentans Deum, & secundariò creaturas: Ergo ut perfecta cognitio competat animæ Christi, necessaria est scientia infusâ, à beatifica distinctâ, ac proinde sine illa potentialis & imperfecta maneret.

7. Probatur tertio conclusio: Ratione unionis hypostatice fuit debita Christo, titulo connaturalitatis, omnis perfectio illi possibilis quæ non repu-

gnat ejus beatitudini, & fini redemptionis humani generis; hæc enim ratione probant Theologi, gratiam habitalem & visionem beatificam Christo fuisse debitas, titulo connaturalitatis: At scientia per se infusâ erat Christo possibilis, & nullam repugnantiam habet cum ejus beatitudine, vel cum fine redemptionis, ut constat: Ergo Christo denegari non debet.

Potest etiam suaderi conclusio ex doctrina Augustini super Genesim ad litteram cap. 2. ubi duplicem distinguit cognitionem in Angelis, unam per quam cognoscunt res in verbo, & per essentiam divinam gerentem vices speciei intelligibilis, quam vocat *cognitionem matutinam*: alteram per quam cognoscunt res extra verbum, per species à Deo receptas, quam *cognitionem vespertinam* appellat, ut exponit S. Thomas 1. p. quæst. 58. art. 6. & 7. ex quo sic licet arguere. Licet Angeli creaturas contemplantur in verbo, per cognitionem beatam, quæ *matutina* vocatur, datur tamen in illis alia creaturarum cognitio in seipsis, quæ *vespertina* appellatur: Ergo pariter in Christo, qui est perfectior & superior Angelis, præter cognitionem rerum in verbo, habitam per divinam essentiam ut speciem superexcedentem, & ut medium cognitionis, statuenda est alia cognitio creaturarum in seipsis, per proprias illarum species immediatè à Deo infusas.

9. Probant etiam hanc conclusionem plures ex nostris Thomistis hoc discursu. Christus Dominus meruit per actus charitatis, non ut comprehensoris, sed ut viatoris, ut docet D. Thomas infra quæst. 59. art. 3. ad 1. Ergo meruit per actum charitatis, ut regulatum lumine distincto à lumine gloriæ; actus enim charitatis regulatus scientiâ beatâ, erat Christi ut comprehensoris: At lumen illud non erat obscurum, cum fides in Christo non fuerit: Ergo erat clarum, & per se infusum, & consequenter concedenda est Christo Domino scientia per se infusâ, distinctâ à scientiâ beata. Eadem ratione utitur Theophilus Rainaudus Tomo de Christo lib. 4. sect. 2. cap. 1.

10. Verum illa non urget, est enim valde probabilis plurius Thomistarum sententia asserentium actum charitatis Christi regulatum scientiâ beatâ, qui necessarius fuit ut terminatus ad bonitatem divinam, prout est ratio diligendi Deum; liberum fuisse, prout terminatum ad divinam bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas, ac proinde sub hac ratione meritum fuisse: Ergo ad salvandum meritum charitatis in Christo, non est necesse recurrere ad scientiam per se infusam, à beatifica distinctam.

11. Dico secundò, scientiam per se infusam in Christo fuisse duplicem, unam supernaturalem, & aliam naturalem. Ita D. Thomas opusc. 2. cap. 216. ubi duplicem rerum cognitionem distinguens, unam in verbo, & aliam in seipsis, & hanc in angelicam & humanam subdividens; & rursus tam Angelorum quàm hominum cognitionem rerum in seipsis, in naturalem & supernaturalem distribuens, hæc verba subjecit: *Et quia nulla perfectio creaturis exhibita, anima Christi qua est creaturarum excellentissima, deneganda est, convenienter præter cognitionem quâ Dei essentiam vidit, & omnia in ipsa, triplex alia cognitio est ei attribuenda: una quidem experimentalis, sicut alijs hominibus, in quantum aliqua per sensus cognovit ut competit humana natura; alia divinius infusa ad cognoscenda omnia illa ad qua naturalis cognitio hominis se extendit, vel*

extendere potest. Et paucis interjectis, ita profertur. *Sed quia Christus secundum humanam naturam, non solum fuit reparator naturæ, sed etiam gratia propagator, affuit etiam ei tercia cognitio, quâ plenissime cognovit quidquid ad mysteria gratiæ potest pertinere.* Quibus verbis duplicem scientiam infusam in Christo agnoscit, unam naturalem, & ad objecta naturalia terminatam; alteram supernaturalem, & ad mysteria gratiæ, seu objecta supernaturalia se extendentem. Unde hic quæst. 11. art. 1. docet per scientiam divinitus Christo inditam, fuisse reductam ad actum, non solum potentiam obedientiæ quâ potest anima supernaturalia cognoscere, sed etiam potentiam naturalem, quâ potest intelligere quæcumque pertinent ad scientias humanas.

12. His locis S. Doctor non solum conclusionem nostram aperte docet, sed etiam ad illam suadendam, duplicem rationem insinuat. Prima est: Nulla perfectio aliis creaturis concessa, est neganda animæ Christi: Sed in Angelis reperitur duplex scientia per se infusa, una supernaturalis, per quam objecta supernaturalia extra verbum cognoscunt; alia naturalis, quâ res naturales in seipsis contemplantur, per species quas à Deo in creatione receperunt: Ergo etiam in Christo duplex illa scientia per se infusa admittenda est.

13. Dices, Majorem esse veram, si sit in humanitate Christi ad omnem illam perfectionem naturalis capacitas; falsam autem, si non sit in illa capacitas naturalis ad aliquam ex illis perfectionibus; animam verò Christi, utpote conjunctam corpori, non esse capace ad recipiendas species rerum naturalium, non dicentes ordinem ad phantasmata, subindeque per se infusas, bene tamen Angelos, quia sunt substantiæ separatæ, & independentes à corpore.

14. Sed contra primò: Animæ separatæ debetur modus cognoscendi independens à phantasmate, quia in illo statu est independens à corpore, & modus operandi sequitur modum essendi, ut docet D. Thomas 1. part. quæst. 89. art. 1. Sed anima Christi Domini, esto sit corpori unita, D est tamen independens ab illo, illique quoad cognitionem non subdita, ratione status beatifici, ut asserit idem S. Doctor hic art. 2. Ergo debitus est illi modus cognoscendi à phantasmate independens.

15. Confirmatur: Anima Christi Domini solum fuit corpori subdita in his quæ ad salvandum redemptionis nostræ mysterium necessaria fuere, ideo enim impassibilitas non transivit ex anima ad corpus, ut locus nostræ redemptioni per mortem & passionem daretur: Sed quod à corpore in omni cognitione naturali dependeret, non erat ad finem redemptionis necessarium: Ergo talem dependentiam non habuit.

16. Confirmatur amplius: Anima puri viatoris, quandiu est corpori conjuncta, non solum pendet à corpore, & à phantasmatibus in naturali cognitione, sed etiam in supernaturali; & tamen anima Christi, quia non solum erat viator, sed etiam comprehensor, à phantasmatibus per se non dependebat in cognitione supernaturali, ut communiter docent Theologi: Ergo non dependebat ab illis per se in omni naturali cognitione, sed aliquam habuit à corpore omnino independentem, subindeque mediis speciebus naturalibus per se infusis elicitam.

17. Secunda ratio quam insinuat S. Doctor hic art. Tom. IV.

A 1. sic potest proponi. Omnis potentia receptiva animæ Christi debuit ad actum reduci, ne imperfecta post assumptionem maneret ejus humanitas: Atqui anima Christi non solum erat in potentia obedientiali ad cognoscenda objecta supernaturalia in verbo, sed etiam extra verbum; & ad cognoscenda objecta naturalia, non solum per species à phantasmatibus abstractas, sed etiam per species à Deo infusas, sicut Angeli & animæ separatæ à corpore ea cognoscunt, ut patet ex dictis ratione præcedenti, & docet expressè S. Thomas quæst. 10. de verit. art. 5. ad 1. his verbis: *Cum Christus esset comprehensor & viator, habuit utrumque modum considerandi, unum quo Angelis conformabatur, ut sine discursu consideraret, alium quo per conversionem ad phantasmata.* Ergo in Christo duplex fuit scientia infusa, una naturalis, & alia supernaturalis.

Confirmatur: Pertinet ad dignitatem animæ Christi omnis intellectualis perfectio, quæ potest animæ rationali in aliquo statu convenire, dummodo cum unione ad Verbum, aut cum visione beatifica, aut cum aliqua altera majori perfectione incompatibilitatem non habeat: Sed cognitio rerum naturalium & supernaturalium, per species à Deo infusas, quæ competit Angelis, & animæ rationali in statu separationis, nec cum unione ad Verbum, nec cum visione beatifica, nec cum altera majori perfectione, habet incompatibilitatem: Ergo illa animæ Christi attribueda est, ut magis ex argumentorum solutione patebit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

19. Contra præcedentes conclusiones objicitur primò: Scientia infusa in Christo est otiosa & superflua: Ergo non est admittenda. Consequenter patet, gratia enim non minus abhorret à superfluo, quam natura. Antecedens probatur: Per scientiam beatam expletur & satiatur omnis potentia obedientialis animæ Christi in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscibilia; & per scientias acquisitas satiatur ejus potentialitas naturalis in ordine ad cognoscibilia naturaliter: Ergo superflue constituitur in illa scientia per se infusa, à beatifica, & à scientiis acquisitis distincta.

20. Respondeo negando Antecedens, ad cujus probationem dicendum, quod licet per scientiam beatam satiatur potentialitas animæ Christi in ordine ad objecta supernaturalia, quantum ad numerum scitorum, non tamen expletur, quantum ad modum sciendi & cognoscendi eadem objecta: Etenim duplex potentialitas obedientialis erat in anima Christi in ordine ad objecta supernaturaliter cognoscibilia. Prima erat ad cognoscenda hæc objecta in verbo, & hæc potentia obedientialis expleta fuit & satiata per scientiam beatam. Altera ad cognoscendum eadem objecta extra verbum, quæ non expletur nisi per scientiam infusam. Idem proportionaliter dicendum est de potentia ad cognoscenda objecta naturalia; illa enim (ut ex D. Thoma supra ostendimus) fuit etiam duplex in Christo, una ad cognoscendas res naturales per discursum, & species à phantasmatibus abstractas; altera ad eas cognoscendas sine discursu, & per species à Deo infusas: prima expleta & satiata fuit per scientiam naturales acquisitas, secunda verò non nisi per scientiam natura-

FFFF ij

sem infusam expleri potuit. Et ita duplex scientia infusa (ut in secunda conclusione monstravimus) in Christo admittenda est: una supernaturalis, per quam objecta supernaturalia extra verbum contemplatur; altera naturalis, quæ cognoscit res naturales per species à Deo infusas, similes his quæ Angeli in sua creatione à Deo receperunt.

Dices, Non datur in Deo duplex ille modus cognoscendi res in verbo, & extra verbum, cum omnia solum in sua essentia tanquam in causa cognoscat, ut in Tractatu de scientia Dei contra assertores scientiæ mediæ ostensum est: Ergo pariter in Christo admitti non debet.

Disp. 2.
art. 2.

Sed negatur consequentia & paritas, ob duplicem rationem discriminis. Prima est, quia cum non repugnet intellectui creato animæ Christi specificati à creaturis, bene tamen intellectui divino & increato, potest anima Christi videre creaturas extra verbum, & immediate in seipsis, Deus verò nihil extra seipsum, & independentem ab essentia divina prius cognita potest cognoscere, ut loco citato variis rationibus demonstravimus. Secunda est, quia in intellectu divino, utpote infinitè perfectio, non potest dari duplex modus cognoscendi creaturas, quorum unus sit magis, & alter minus perfectus, bene tamen in intellectu humano animæ Christi: modus autem cognoscendi creaturas extra verbum, & immediate in seipsis, est minus perfectus, quàm modus eas cognoscendi in verbo, & in essentia divina tanquam in causa, juxta illud Augustini lib. 12. de civit. cap. 2. *Cognitio creature in seipsa, decoloratior est, quàm cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte per quam facta est.*

22.

Obijciunt secundo: Carentia solum negativa alicujus perfectionis, non est imperfectio quæ debeat relegari ab humanitate assumpta: Sed carentia scientiæ infusæ, sive supernaturalis, sive naturalis, solum est negativa respectu intellectus Christi: Ergo nullum videtur inconveniens eam in Christo admittere, subindeque utramque scientiam infusam illi denegare. Major videtur certa, nulla enim res dicitur imperfecta, ratione carentiæ negativæ, sed tantum ratione carentiæ privativæ, unde in Angelis datur nescientia, quæ est carentia negativa scientiæ. Minor verò, in qua est difficultas, quoad utramque partem suadetur. Et in primis quod carentia scientiæ infusæ supernaturalis, negativa sit, videtur manifestum, carentia enim privativa est negatio formæ debite: Sed scientia infusa supernaturalis non est debita intellectui Christi creato, cum de ratione formæ supernaturalis sit esse supra exigentiam & debitum omnis naturæ tam creatæ quàm creabilis: Ergo illius carentia non privativa, sed negativa est.

Quod verò etiam carentia scientiæ infusæ naturalis, non sit privativa, sed solum negativa, sic ostenditur. Carentia perfectionis non debet humanitati Christi, negativa est: Sed scientia infusa naturalis, non est debita animæ Christi: Ergo ejus carentia non privativa, sed tantum negativa est. Major patet, Minor probatur: Perfectio non connaturalis animæ, non debetur animæ Christi, prout est in ordine naturæ: Sed intelligere per species à Deo infusas, non est animæ Christi connaturale: Ergo non est illi debitum. Probatur Minor: Non est connaturale animæ, quod per species infusas intelligat, dum est unita corpori, sed solum postquam est separata, ut docet D. Thomas quæst. unicâ de anima art. 15. ad 14. & 20. & art. 17. ad 2. Ergo animæ Christi, quandiu fuit

A corpori unita, non erat connaturale, nec connaturaliter debitum, intelligere per species à Deo infusas, & sine conversione ad phantasmata.

Huic difficili argumento dupliciter responderi potest, primò negando Majorem, ut enim docet D. Thomas hic art. 1. ut anima Christi esset omnino perfecta, oportuit quod omnis ejus potentialitas tã naturalis quàm obediens ad actum reduceretur: potentialitas autem obediens non includit carentiam perfectionis debite, sed perfectionis non debite; est enim potentia obediens receptiva formarum supernaturalium, quæ excedunt debitum omnis naturæ tam creatæ quàm creabilis; ac proinde non solum debuit ratione unionis ad verbum, excludi ab anima Christi imperfectio privativa, verum etiam negativa. Et ratio suprà probatione 3. insinuat est: ut enim ibi dicebamus, humanitati Christi ratione unionis hypostatica fuit debita Christo, titulo connaturalitatis, omnis perfectio illi possibilis, quæ non repugnat ejus beatitudini, & fini redemptionis humani generis.

Secundo responderi potest, datâ Majori, negando Minorem, ad cujus probationem, concessa Majori, distinguo Minorem, illamque concedo de intellectu Christi nudè considerato, sic enim non potest forma supernaturalis ei deberi: nego autem de intellectu Christi ut assumpto ad esse Verbi, sic enim omnis forma supernaturalis, subindeque scientia infusa supernaturalis, titulo connaturalitatis illi debita est; & per consequens carentia talis scientiæ privativa est, comparata ad intellectum Christi ut assumptum à Verbo.

Vel potest eadem Minor rursus distinguere, & concedi de intellectu Christi, ratione suæ naturæ, sic enim forma supernaturalis non potest ei deberi: negari verò de intellectu ejus, ut ad ordinem gratiæ elevato, & ratione gratiæ elevantis; sic enim formam supernaturalem deberi, illius supernaturalitatis non obstat. Christo igitur (ut docet D. Thomas opusc. 2. cap. 216. suprà citato) quia non fuit solum reparator naturæ, sed etiam propagator gratiæ, debentur non solum quæ sunt debita naturæ secundum se, sed etiam quæ sunt debita gratiæ, & illa quorum carentia privativa est, nedum comparatione factâ ad naturam, sed etiam quorum carentia privativa est, collatione factâ cum gratia, ratione debiti ad illam: licet autem scientia infusa supernaturalis non debeatur intellectui animæ Christi in puris naturalibus sumpto, debetur tamen gratiæ in aliquo sui statu, & idè fuit debita Christo, illiusque humanitati, ratione unionis ad Verbum. Ita Cajetanus hic art. 1. & suprà quæst. 9. art. 3.

Ad id quod additur de scientia infusa naturali, respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad cujus probationem, nego etiam Minorem: ad probationem illius dicendum, D. Thomam loqui de anima puri viatoris, huic enim solum, dum est separata à corpore, debetur specierum infusio, non autem de anima videntis Deum, qualis fuit anima Christi; nam illi ratione elevationis supra corpus, orta ex statu beatitudinis, connaturale est intelligere sine conversione ad phantasmata, & independentem à corpore, ut docet D. Thomas hic art. 1. ad 2. & art. 2. in corp. & quæst. 20. de verit. art. 3. ad 1. subindeque intelligere modo angelico, & per species à Deo infusas. Unde licet anima puri viatoris, unita corpori, in cognitione nedum naturali, sed etiam supernaturali, ad phantasmata convertatur, & sine hac

conversione non possit connaturaliter in ordine gratiæ intelligere; certum tamen est, & communiter à Theologis receptum, animam Christi Domini, ratione elevationis supra corpus, orta ex visione beatifica, & statu beatitudinis, quā gaudebat a primo instanti productionis, & unionis cum corpore, objecta supernaturalia sine conversione ad phantasmata connaturaliter intellexisse. Idem dicendum de cognitione naturali, quamvis in ista etiam usus fuerit conversione ad phantasmata, & speciebus ab illis abstractis, beneficio intellectus agentis; ne talis potentia esset in ipso otiosa & frustranea, ut disputatione sequenti patebit.

§. III.

Corollarium precedentis doctrine.

27. **E**X dictis colligitur, scientiam per se infusam, sive naturalem, sive supernaturalem, fuisse Christo inditam à primo instanti suæ conceptionis: Tum quia talis scientia data est Christo ratione unionis hypostaticæ: hanc autem à principio conceptionis habuit. Tum etiam, quia non fuit necessarium Christo, neque nobis utile, quod hac scientiâ aliquo tempore careret. Adde ad Hebræos 10. dici, quod *Christus ingrediens mundum* (id est naturam humanam induens) dixit, *hosiā & oblationem noluisse, corpus autem aptasti mihi &c. tunc dixi ecce venio.* At hæc cognoscere non potuit anima Christi, per scientiam acquiretam, à rebus ipsis acceptam, aut per species abstractas à phantasmatibus; quia potentia ejus exteriore, dum erat clausus in utero Virginis, non poterant ejusmodi species recipere: Ergo id cognovit tunc per scientiam infusam.

28. Dices, Anima Christi à principio suæ Incarnationis habuit actum visionis beatificæ: Ergo in eo instanti non potuit elicere actum scientiæ infusæ. Probatur Consequentia, implicat enim unam potentiam duas operationes simul elicere, ut sæpe docet S. Thomas.

Respondeo ex doctrina ejusdem S. Doctoris 1. p. quæst. 8. art. 7. ad 2. unam eandemque potentiam posse duas operationes, quarum una ad alteram referatur, eique aliquo modo subordinetur, simul exercere: sic enim voluntas simul & semel finem intendit, & media eligit; intellectus simul principia cognoscit, & conclusiones ex illis infert: scientia autem infusa animæ Christi, cognitioni beatificæ ad quam consequitur, quodammodo subordinatur; atque adeo actum utriusque in intellectu Christi simul esse non repugnat, sicut de cognitione matutina & vespertina Angelorum docent communiter Theologi cum D. Augustino.

ARTICULUS II.

An omnia objecta naturalia, ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, distincte & in particulari cognita fuerint?

29. **A**rticulo precedenti ostensum est, duas scientias per se infusas in anima Christi fuisse, naturalem scilicet & supernaturalem; nunc essentiam scientiæ infusæ supernaturalis, quæ præcipue consideratur à Theologis, investigamus; & quia non potest melius alicujus scientiæ quidditas declarari, quàm ex objectis ad quæ termi-

natur, operæ pretium est, singula objecta ad quæ scientia infusa supernaturalis animæ Christi se extendit, declarare; & discutere, an & quomodo Christus per talem scientiam res naturales, entia supernaturalia creata, actus liberos hominum & Angelorum, futura contingentia, totam rerum possibilitatem collectionem, & denique mysterium Sanctissimæ Trinitatis extra verbum cognoverit: De primo dicemus in hoc articulo, de aliis in sequentibus.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur, & probatur.

Dico igitur: Christus per scientiam supernaturalem infusam, omnia objecta naturalia cognovit, non solum in communi, seu secundum rationes communes & genericas, vel específicas, sed etiam distincte, & in particulari, seu secundum propriam & distinctam cuiusque individui rationem.

Prima hujus pars conclusionis est contra Vazquem hic disp. 32. cap. 1. num. 5. ubi licet doceat fuisse objecta naturalia per scientiam per se infusam ab anima Christi cognita, loquitur tamen de scientia per se infusa naturali, per supernaturalem verò negat cognosci. Secunda verò est contra Scotum, Gabrielem, & Almainum, negantes animam Christi per scientiam inditam res naturales distincte & in particulari, seu secundum rationes individuales & numericas, cognovisse.

Probatur ergo prima pars contra Vazquem ratione D. Thomæ hic art. 1. ad hanc formam redacta. Decnit ut non solum potentia naturalis, sed etiam obedientialis animæ Christi ad actum reduceretur, ne maneret imperfecta, utpote relicta in potentia: Atqui anima Christi Domini erat in potentia obedientiali ad cognoscenda omnia objecta naturalia per scientiam supernaturalem infusam: Ergo tali scientiâ cognovit omnia entia naturalia. Major patet ex dictis articulo precedenti, Minor verò suadetur primò. Entitas materialis potest per actum spirituales attingi, & de facto terminat spirituales cognitionem, seu intellectualem: Ergo entitas naturalis terminare poterit cognitionem supernaturalem.

Secundò, Esto objectum non possit sui cognitionem excedere, excessu ordinis, quo circa nec entitas spiritalis materiali cognitione, nec supernaturalis naturali possunt cognosci, non tamen necessarium est quod ab illa non excedatur; unde finita entitas terminare potest infinitam cognitionem, & creata increatam: Ergo naturalitas objecti non impedit quin supernaturalem cognitionem in seipso terminare possit.

E Tertiò, Esto objectum naturale, sub ratione naturali objectiva, nequeat attingi per cognitionem supernaturalem, bene tamen sub ratione supernaturali objectiva: At in entibus naturalibus est habilis hæc ratio objectiva, ut ex dicendis constabit: Ergo entia naturalia supernaturalem cognitionem terminare possunt.

Potest etiam eadem pars aliâ ratione suaderi: Congruum enim fuit, ut anima Christi Domini altiori & perfectiori cognitione objecta naturalia cognosceret in seipsis, quàm cognoscuntur ab Angelis; nam sicut anima Christi ratione unionis ad Verbum perfectior sit naturâ angelicâ, ita perfectiorem debet habere scientiam: Sed si illa non cognosceret objecta naturalia supernaturali cognitione, sed tantum naturali, ea non cognosceret

Ffff iij

perfectiori, sed imperfectiori modo, quam Angeli; cognitio enim naturalis possibilis animæ Christi per species infusas, sive per species ex genere suo acquisitas, inferior est Angelorum cognitioni: Ergo anima Christi cognoscit res naturales in seipsis, supernaturali cognitione.

§2. Ex quo probatur secunda pars contra Scotum & Nominales: Angeli enim per scientiam inditam cognoscunt omnia objecta naturalia, non solum confusè & in communi, sed etiam distinctè & in particulari; secundum rationes unicuique proprias: Ergo & Christus per scientiam supernaturalem animæ suæ infusam. Antecedens docet expressè D. Thomas 1. p. quæst. 55. & 56. probatque ex eo quod species scientiæ infusæ Angelis, cum non sint acceptæ ab objectis, sed causatæ immediatè à Deo, ad exemplar divinæ essentiae, consideratæ secundum quod habet rationem speciei intelligibilis, repræsentant clarè & distinctè, sicut essentia divina, omnes res naturales, secundum proprias & individuales earum rationes. Consequentia verò probatur, Tum quia scientia Christi esset imperfectior angelicâ, si non distinctè sicut illa cognosceret res naturales secundum rationes ipsis proprias, sed tantum confusè & secundum rationes communes, ut contendunt Scotus & Nominales. Tum etiam, quia species quibus utitur scientia indita animæ Christi, æquè causantur immediatè à Deo, ad exemplar divinæ essentiae, ac species infusæ mentibus Angelorum: Ergo sicut propter hanc rationem Angelus cognoscit extra divinam essentiam omnia objecta naturalia, non solum secundum rationes communes, sed etiam secundum proprias: ita propter eandem rationem, anima Christi eodem modo cognoscet per scientiam infusam omnia illa objecta. Aliam rationem ad probandum hanc secundam partem, ex D. Thomæ desumptam, in solutione objectionum adducemus.

§. II.

Solvuntur objectiones.

93. **O**bjicies primò contra primam partem conclusionis: Nulla scientia potest se extendere nisi ad ea quæ intra limites sui objecti continentur: Sed res naturales sub objecto scientiæ infusæ supernaturalis contineri nequeunt: Ergo nec ab ipsa attingi. Major patet, Minor probatur. Scientia cum specificetur à suo objecto, debet esse ejusdem ordinis cum illo, eique proportionari: Sed entia naturalia non sunt ejusdem ordinis cum scientia supernaturali, nec habent cum illa proportionem: Ergo sub ejus objecto non continentur.

34. **R**espondeo, concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus probationem respondere possumus ex Alvare hic disp. 57. dupliciter. Primò quod scientia debet esse ejusdem ordinis cum objecto formali à quo habet specificari, non verò cum materialia à quo non specificatur: res autem naturales pertinent ad objectum materiale scientiæ supernaturalis infusæ animæ Christi, unde non oportet quod sint ejusdem ordinis cum illa, vel habeant cum ea proportionem.

35. **S**ecundò responderi potest, quod quando scientia alicujus rei est ei propria & adæquata, oportet quod sit ejusdem ordinis cum illa, eique proportionetur, secus verò si excedens sit & inadæquata, ut patet in scientia increata Dei, quæ transcendit totum ordinem naturæ, & tamen per eam

A attingit Deus perfectissimè res naturales. Constat etiam in scientia Angelorum, quæ in se est omnino immaterialis, & tamen res materiales attingit. Scientia autem supernaturalis infusa animæ Christi, non est propria & adæquata naturalibus rebus, attingit enim ipsas sub universali quadam ratione, etiam communi ad res supernaturales, nempe sub ratione claræ revelationis extra verbum; per quod differt à fide, cujus revelatio est obscura, & visione beatifica, quæ non extra verbum, sed in verbo, seu in essentia divina clarè visa, creaturas manifestat.

Addo, proportionem requisitam inter scientiam & objectum materiale illius, cujusmodi se habent res naturales ad scientiam inditam animæ Christi, non debere in eo consistere quod sint ejusdem ordinis, sed quod ipsum objectum non pertineat ad ordinem superiorem: unde licet scientia inferioris ordinis terminetur ad res inferiores, nec possit ad superiores se extendere, quia ejus perfectionem superant; scientia tamen superioris ordinis, non solum superiora, sed etiam inferiora sub objecto suo complexi potest; quia virtus quò superior, eo est universalior, & quia inferiora non excedunt virtutem superioris, & possunt nobiliori modo attingi: unde cum scientia supernaturalis infusa animæ Christi, sit ordinis superioris, potest sub objecto suo non solum res supernaturales, sed etiam naturales, comprehendere, attingendo illas nobiliori modo.

Objicies secundò contra secundam partem conclusionis: Scientia non est de singularibus, ut communiter dicunt Philosophi: Ergo scientia Christo infusa non se extendit ad res naturales cognoscendas in individuo & in particulari & secundum propriam & singularem cujusque individui rationem, sed eas in communi solum, & quoad rationes duntaxat genericas vel specificas, contemplatur.

Confirmatur: Per scientiam inditam illa solum cognoscit Christi anima, quorum cognitio perficit ejus intellectum, propter hanc enim solum rationem ponitur hæc scientia in Christo, ut intellectus ejus perficiatur quoad cognitionem rerum in proprio genere: Sed cognitio singularium, præsertim materialium, non perficit intellectum, ut docet S. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 8. ad 4. Ergo scientia animæ Christi indita, ad ea non se extendit. Unde idem S. Doctor in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 3. in corp. expressè docet, Christi animam non cognoscere in proprio genere, nec per consequens per scientiam inditam, gesta particularium hominum, quia ea non pertinent ad perfectionem intellectivæ partis.

Confirmatur ampliùs: Cum individua materialia ferè infinita sint, ad ea representanda intellectui Christi requirerentur infinitæ species intelligibiles, non enim in Christo sunt species universales plura per modum unius representantes, sicut sunt in Angelis: Sed inconveniens est ponere in intellectu infinitam illam multitudinem specierum quam non posset percurrere: Ergo & quod scientia sibi indita, ad omnia individua, etiam materialia, se extendat.

Ad objectionem respondetur, quod licet scientiæ naturales, seu procedentes ex lumine naturali primorum principiorum, non possint esse de singularibus, bene tamen scientia supernaturalis, seu procedens ex lumine certo & infallibili divinæ revelationis, quia singularia prout subsistant tali lumini, induunt eandem certitudinem & im-

mutabilitatem, ac naturæ universales; unde quia Theologia nititur lumini divinæ revelationis, virtualis saltem & mediata, & est radicaliter saltem & objectivè supernaturalis, ad singularia se extendit, eaque sub tali lumine contemplatur; ut in disputatione præcæmiali Theologiæ art. 1. in solutione objectionum declaravimus.

41. Ad primam confirmationem respondet S. Thomas hic art. 1. ad 3. quod cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ secundum cognitionem speculativam; pertinet tamen ad perfectionem ejus secundum cognitionem practicam, quæ non perficitur absque cognitione singularium in quibus est operatio, ut dicitur in sexto Ethicorum: unde ad prudentiam requiritur memoria præteritorum, cognitio presentium, & providentia futurorum, ut Tullius dicit in sua Rhetorica. Quia igitur Christus habuit plenitudinem prudentiæ secundum donum consilij, consequens est quod cognoverit omnia singularia præsentia, præterita, & futura. Ubi obiter advertendum est, quod licet hæc ratio S. Doctoris solum videatur ostendere, Christi animam cognoscere hujusmodi singularia per prudentiam, quæ est habitus distinctus à scientia infusa; si tamen rectè perpendatur, & radicibus penetretur, constabit ex illa rectè deduci Christi animam per scientiam infusam talia singularia cognoscere; nam per hanc scientiam Christus habet cognoscere omnia quorum cognitio quomodolibet pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ, & hoc propter maximam ejus universalitatem; unde si cognitio singularium pertinet ad perfectionem animæ intellectivæ secundum cognitionem practicam, & requiritur ad prudentiam, dicendum est Christum per scientiam infusam illa cognoscere.

42. Dices, Prudentia solum respicit agibilia, hoc est pertinentia ad actiones humanas, est enim recta ratio agibilium: Ergo hæc ratio D. Thomæ non probat Christum per scientiam inditam cognovisse alia singularia factibilia vel purè speculabilia, quæ ab arte, vel ab intellectu speculativo cognosci possunt.

Huic instantiæ optimè respondet Cajetanus hic art. 1. §. Ad tertium dubium: quod videlicet in Christi anima fuit plenitudo prudentiæ, non solum monasticæ, sed etiam politicæ, imò & regalis ac monarchicæ in ordine ad omnes creaturas in singulari; quia Christus secundum humanitatem, ratione unionis hypostaticæ cum Verbo, habuit dominium & potestatem in omnia creata, vel immediatè, vel quatenus aliquo modo ordinantur ad electorum salutem, ut colligitur ex illo Psalmi 8. Omnia subieciisti sub pedibus ejus. Quem locum expendens Apostolus ad Hebræos 2. illamque explicans de Christo ut est homo, addit: In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei. Unde ex eo quod singularium cognitio ad prudentiam requiritur, rectè infert S. Thomas, Christum cognovisse omnia singularia præsentia, præterita, & futura.

43. Ad locum verò ejusdem S. Doctoris, desumpti ex libro tertio sententiarum, respondetur D. Thomæ intelligendum esse de cognitione quæ habetur per scientiam speculativam vel naturalem; ita ut sensus verborum ipsius sit quod Christus non cognovit per scientiam inditam, quæ est speculativa, vel naturalis, gesta particularium hominum; hæc enim non pertinent ad scientiam speculativam, quia non perficiunt intellectum speculativum; neque ad scientiam naturalem etiam pra-

cticam, quia sunt libera; cum quo tamen stat quod ea scientia practica simul & speculativa cognoverit, ut necessitatio infertur ex doctrina quam ibidem idem S. Doctor tradit.

Ad secundam confirmationem nego quod ad hoc ut anima Christi per scientiam inditam omnia singularia cognoscat, requirantur infinitæ species, licet enim species intelligibiles quibus ea cognoscit, non sint tam universales ac Angelicæ, non sunt tamen tam particulares ac illæ quæ abstrahuntur à phantasmatibus: unde eadem species repræsentat clarè & distinctè naturam specificam & omnia individua ipsius, quod convenit speciebus Angelicis magis particularibus; & hoc quia sunt quædam similitudines derivatæ à divina essentia ut habet rationem speciei intelligibilis, ut in probatione secundæ partis nostræ conclusionis declaravimus.

ARTICULVS III.

Utrum anima Christi Domini, per scientiam supernaturalem infusam, entia seu dona supernaturalia creata, quidditativè, & comprehensivè cognoscat?

45. Vt certum & indubitatum supponimus, hujusmodi entia, seu dona, ab anima Christi per scientiam supernaturalem infusam cognosci: hoc enim expressè docet S. Thomas hic art. 1. ubi solum Dei essentiam excipit ab objecto scientiæ supernaturalis infusæ, & ratione illius probatur. Nam omnia quæ per revelationem hominibus innotescunt, ab anima Christi per scientiam infusam supernaturalem cognoscuntur: Sed dona supernaturalia creata innotescunt per revelationem hominibus: Ergo anima Christi per scientiam supernaturalem infusam ea cognoscit. Solum ergo difficultas & controversia est inter Theologos, de modo quo illa cognoscit, & an ea quidditativè & comprehensivè cognoscit: Bannez enim 2. 2. quæst. 1. art. 1. dubio unico, ad tertium argumentum Cajetani, & Alvarez disp. 118. & 119. de auxiliis, docent entia creata supernaturalia, ut gratiam, fidem, charitatem, ab anima Christi per scientiam supernaturalem infusam non esse cognita, evidentia rei in seipsa, quæ est evidentia cognitionis quidditativæ, sed tantum evidentia testimonij divini, quæ est evidentia rei in attestante. Suarez verò hic disp. 27. sect. 1. asserit quod licet omnia entia supernaturalia quæ dicunt intrinsecam habitudinem ad Deum prout est in se, possint videri & quidditativè cognosci per hanc scientiam, non tamen comprehendi. Alij verò Theologi tam domestici quam extranei, cognitionem non solum quidditativam, sed etiam comprehensivam illorum entium, animæ Christi, ratione scientiæ supernaturalis infusæ, concedunt.

§. I.

Hæc sententia ut verior eligitur, & duplici conclusione stabilitur.

46. Deo primò: Christus per scientiam infusam supernaturalem cognoscit quidditativè omnia dona supernaturalia quæ de facto sunt producta.

Probatur conclusio ratione D. Thomæ hic art. 1. Per scientiam infusam supernaturalem fuit redacta ad actum omnis potentia obedientialis quæ

in anima Christi invenitur in ordine ad cognitionem quæ potest haberi extra verbum: Sed entia supernaturalia creata possunt extra verbum quidditative cognosci, & consequenter anima Christi ad huiusmodi cognitionem potentiam obedientialem habet: Ergo illa entia fuerunt ab anima Christi cognita per scientiam supernaturalem infusam. Major patet ex dictis suprâ art. 1. Minor verò, in qua est difficultas, sic ostenditur. Quæ per propriam speciem in seipsis quidditative representari possunt, mediante illâ in seipsis possunt quidditative cognosci: Sed entia supernaturalia creata, possunt per propriam speciem in seipsis quidditative representari: Ergo & extra verbum quidditative cognosci. Major est certa, nam omnis species representativa objecti, potest esse principium cognitionis illius: Sed species immediate representans entia supernaturalia creata, nequit esse principium cognitionis illorum in verbo, nam visio beatifica quæ ad res creatas terminatur in verbo, soli divinæ essentia ut unitæ per modum speciei, immediate Deum representantis, & illo mediante creaturas, inniti potest: Ergo quæ per propriam speciem in seipsis quidditative representari possunt, possunt in seipsis extra verbum quidditative cognosci.

Minor verò multipliciter suadetur: Primò quia entia supernaturalia creata sunt finitæ & limitatæ entitatis: Ergo & finitæ representabilitatis, & consequenter representabilia per speciem limitatam & finitam.

Secundò, Quia talia entia sunt limitatæ quidditatis, possunt per cognitionem finitam attingi quidditative, ut patet in visione beatifica, quæ licet finita sit, illa tamen quidditative cognoscitur: Ergo ob eandem rationem possunt quidditative per speciem creatam representari.

Tertiò, Si entia creata supernaturalia non possent per speciem creatam quidditative representari, maximè quia terminantur ad Deum ut est in se: Sed hæc ratio nulla est: Ergo per speciem creatam quidditative representari possunt. Major est præcipuum Adversariorum fundamentum, Minor verò sic ostenditur. Ut aliquid respiciens aliquem terminum representetur quidditative, non est necessarium quod terminus inspectus quidditative representetur, ordo enim dependentiæ creaturarum à Deo quidditative representatur, termino illius ordinis, scilicet Deo, non representato quidditative: Ergo quod prædicta entia Deum respiciant ut terminum vel objectum, non impedit quin per speciem creatam quidditative represententur, Deo ab illis inspecto, quidditative non representato.

Dico secundò: Probabilius est, entia supernaturalia creata, ut gratiam, fidem, charitatem, ab anima Christi, per scientiam infusam supernaturalem comprehendi.

47. Probatum breviter: Omnia ista entia possunt cognosci in seipsis & extra verbum, cognitione comprehensivâ, subindeque per scientiam infusam: cognitio enim rerum in verbo, non ad scientiam infusam, sed ad visionem beatificam spectat: At supposito quod illa entia per scientiam infusam comprehensive sint cognoscibilia, non est cur talis cognitio animæ Christi, & scientia illi infusa denegetur: Ergo &c. Minor patet, nulla enim perfectio possibilis deneganda est humanitati Christi, nisi aut fini redemptionis repugnet, aut cum visione beatifica sit impossibilis, quo-

A rum neutrum convenire potest cognitioni comprehensivæ entium creatorum supernaturalium per scientiam infusam supernaturalem. Major verò suadetur: Omnis entitas finitæ & limitatæ perfectionis, potest per cognitionem finitam & limitatam comprehendi: Sed entia supernaturalia creata, ut gratia, fides, charitas, visio beatifica, sunt finitæ & limitatæ entitatis & perfectionis: Ergo possunt per cognitionem finitam & limitatam, subindeque per scientiam infusam supernaturalem, comprehendi. Minor patet, Major probatur. Quod est finitæ entitatis, est etiam finitæ cognoscibilitatis, nam cognoscibilitas passiva consequitur entitatem, & commensuratur cum illa: Sed quod est finitæ cognoscibilitatis, per lumen & cognitionem finitam comprehendi potest; vis enim cognoscitiva finita, cognoscibilitatem objecti finitam adæquare potest: Ergo quod est finitæ & limitatæ entitatis & perfectionis, per lumen & cognitionem finitam comprehendi potest.

48. Respondet Suarez, quod quamvis entia supernaturalia creata, sint finitæ & limitatæ entitatis & perfectionis, quia tamen Deum in ratione termini vel objecti immediate respiciunt, non possunt per scientiam infusam animæ Christi cognosci quantum cognoscibilia sunt: Quò enim perfectiùs cognoscitur terminus vel objectum actus, vel habitus, eò ipse actus vel habitus cognoscitur perfectiori modo: Sed Deus qui est terminus vel objectum immediatum entium supernaturalium, perfectiùs per visionem beatam cognoscitur, quàm per scientiam supernaturalem infusam: Ergo ipsa entia supernaturalia creata, perfectiùs per visionem beatam, quàm per scientiam infusam cognoscuntur, subindeque per huiusmodi scientiam non cognoscuntur quantum cognoscibilia sunt.

49. Verum si hic discursus Suaris, qui est præcipuum ejus fundamentum, aliquid probet, convincit nec per ipsam visionem beatificam posse entia supernaturalia creata comprehendi, sed tantum per cognitionem divinam; nam solum per illam cognoscitur undequaque perfectè Deus, qui est terminus, vel objectum immediatum illorum entium: Sed hoc absurdum est, cum certum sit omnia entia creata, tam naturalia, quàm supernaturalia, à Christi anima per scientiam beatam, seu visionem beatificam comprehendi: Ergo hic discursus Suaris non valet, ut magis ex solutione argumentorum patebit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

50. E Obijcies primò contra primam conclusionem: Gratia sanctificans, lumen gloriæ, visio beatifica, & unio hypostatica, sunt entia seu dona supernaturalia creata: Sed illa per scientiam supernaturalem infusam quidditative cognosci nequeunt: Ergo Christus per scientiam infusam supernaturalem, non cognovit quidditative omnia entia seu dona supernaturalia quæ de facto sunt producta. Major patet, Minor verò probatur quantum ad singulas partes. Et in primis quòd gratia habitualis nō possit ab anima Christi per scientiam infusam quidditative cognosci, sic ostenditur. Gratia habitualis non potest quidditative cognosci, non cognita etiam quidditative divinæ essentia: Atqui divina essentia non potest quidditative cognosci per scientiam infusam, sed solum

solūm per visionem beatificam : Ergo nec gratia habitualis. Minor est certa, Major verò luadetur. Gratia habitualis est formalis participatio divinæ naturæ, juxta illud 1. Petri 1. *Per quem maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ.* Sed participatio formalis alicujus rei, non potest quidditative cognosci, non cognita etiam quidditative re cuius est participatio formalis: ex eo enim quod aliqua res sit participatio alterius, sicut habet quod non possit separari quoad esse ab illa, ita etiam habet quod non possit cognosci sine illa; nam sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Ex eo verò quod sit formalis participatio, sicut habet formaliter convenire cum re illa quoad esse, ita & quoad modum cognitionis.

51. Quod etiam lumen gloriæ non possit quidditative cognosci per scientiam infusam, sed solūm per visionem beatificam, manifestum videtur: Nam lumen gloriæ excedit quodlibet aliud lumen creatum, & est ordinis superioris ad illud: Ergo per nullum lumen ab ipso distinctum potest quidditative cognosci: At cognitio luminis gloriæ habita ex vi ejusdem luminis, est ipsa visio beatifica, & cognitio illius in verbo, non in se, & extra verbum; quidquid enim medio lumine gloriæ cognoscitur, non cognoscitur immediatè in seipso, sed in divina essentia ut objecto prius cognito: Ergo lumen gloriæ non potest quidditative cognosci extra verbum, per scientiam infusam, sed solūm in verbo, per scientiam beatam, seu visionem beatificam.

52. De visione beata idem probatur: Visio beatifica non potest cognosci quidditative, nisi Deus ut est in se quidditative cognoscatur: Sed solūm per visionem beatificam, non verò per scientiam infusam, potest cognosci Deus ut est in se quidditative: Ergo solūm per seipsam potest visio beatifica quidditative cognosci. Minor est certa, Major verò sic ostenditur. Nulla relatio potest quidditative cognosci, nisi pariter ejus terminus quidditative cognoscatur: At visio beata importat relationem transcendentalem ad Deum ut est in se, cum Deus ut in se est, sit illius objectum: Ergo visio beatifica non potest cognosci quidditative, nisi Deus ut est in se quidditative cognoscatur.

53. Denique quod unio hypostatica per scientiam infusam animæ Christi quidditative cognosci nequeat, breviter suadet. Unio humanitatis ad Verbum pertinet ad ordinem hypostaticum, superiorem ordini gratiæ, ad quem spectat scientia supernaturalis infusa: Sed cognitio ad inferiorem ordinem spectans, nequit esse quiddiativa rei pertinentis ad ordinem superiorem: Ergo unio hypostatica per scientiam supernaturalem infusam animæ Christi, quidditative cognosci nequit. Major patet, Minor probatur. Scientia naturalis quidditative cognoscere nequit gratiam habitualement, quia est inferioris ordinis ad illam: Ergo per cognitionem ordinis inferioris non potest entitas ordinis superioris quidditative cognosci.

54. Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Non minùs distat ordo hypostaticus ab ordine gratiæ, quàm ordo gratiæ ab ordine naturæ: Sed quæ pertinent ad ordinem gratiæ, nequeunt quidditative cognosci per actum ordinis naturalis: Ergo quæ spectant ad ordinem hypostaticum, non possunt cognosci quidditative per cognitionem ordinis supernaturalis.

55. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, quantum ad singulas partes, Ad probationem.

Tom. I F.

A nem primæ partis, quæ est de gratia habituali; nego Majorem, ad cuius probationem dicendum, quod ut cognoscatur, gratiam habitualement participare formaliter divinam naturam, sufficit cognosci evidenter quoad an est ipsam divinam naturam, maximè quia convenientia formalis in esse quod habet gratia cum divina natura, non est univoca, sed tantum analogica. Potestque hæc solutio explicari & illustrari exemplo intellectus creati, qui est formalis participatio intellectus divini, & tamen non est necesse quod Angelus qui naturaliter illum quidditative, imò comprehensive cognoscit, quidditative cognoscat intellectum divinum.

B Ad probationem secundæ partis, quæ est de lumine gloriæ, dicendum est, quod licet lumen gloriæ quodlibet aliud lumen creatum in immaterialitate excedat, & sit superioris ordinis ad illud, nihilominus potest per lumen creatum ordinis supernaturalis, subindeque per scientiam supernaturalem infusam animæ Christi, quidditative cognosci; quia ad cognitionem quidditativam non requiritur convenientia specifica inter objectum & principium cognoscitivum; ut constat in ipso lumine gloriæ, quod est principium cognitionis Dei quidditivæ, & tamen cum Deo non convenit specificè, imò nec genericè. Et in sententia ipsius Bannez, cuius est hoc argumentum, Angelus inferior non solūm quidditative, sed etiam comprehensive, cognoscit superiorem, & tamen iste specificè excedit in gradu immaterialitatis Angelum inferiorem. Quamvis ergo lumen beatificum specificè excedat in immaterialitate scientiam supernaturalem infusam, poterit virtute illius cognosci quidditative.

C Ad probationem tertiæ partis, quæ est de visione beatifica, nego Majorem, ut enim visio beatifica quidditative cognoscatur, sufficit cognoscere divinam essentiam quod an est, falsum enim est, ad cognoscendum quidditative aliquam relationem, debere cognosci quidditative illius terminum; aliàs Angelus non posset naturaliter cognoscere relationem transcendentalem dependentiæ creaturæ ad Deum, cum non possit naturaliter cognoscere Deum quidditative. Quod diximus de cognitione quiddiativa, de cognitione comprehensive pariter asserendum est, nimirum ad comprehensivam cognitionem actus dicentis habitudinem ad aliquem terminum, secundum quod est in seipso, non requiri quod comprehensive talis terminus cognoscatur secundum quod est in seipso, sed sufficere quod cognoscatur illud secundum quod est in seipso talem actum terminare: unde licet visio beatifica dicat intrinsecam habitudinem ad Deum ut est in se, & Christus nec per scientiam inditam, nec per scientiam beatam, Deum comprehendat, nihilominus per utramque scientiam visionem beatificam comprehendit, quia cognoscit Deum secundum quod est in seipso esse terminum talis visionis. Ex quo solvetur argumentum quod contra secundam conclusionem fieri posset.

D Ad probationem denique quartæ partis, quæ est de unione hypostatica, concessâ Majori, nego Minorem, & ad illius probationem, distinguo causalem Antecedentis: Scientia naturalis quidditative cognoscere nequit gratiam habitualement, quia est inferioris ordinis ad illam, inferioritate genericâ, concedo Antecedens: inferioritate specificâ, nego Antecedens, & distinguo Consequens eadem distinctione.

E Ad confirmationem nego Majorem, distantia

G G g g

enim ordinis gratiæ à natura est generica, distantia verò unionis hypostaticæ à gratia est tantum specifica, conveniunt enim genericè in ratione ordinis supernaturalis. Vel distinguo Majorem. Non minus distat ordo hypostaticus ab ordine gratiæ, quam ordo gratiæ ab ordine naturæ, distantia entitativà, transeat Major. Distantia habitudinis, nego Majorem, & concessà Minori, nego Consequentiam. Deus enim prout in se, superioris ordinis est ad lumen beatificum, & plusquam ab illo distat distantia entitativà, quam gratia à natura, & quam Angelus à potentia visiva; & tamen potest Deus quidditivè cognosci mediante lumine gloriæ, & gratia non potest cognosci quidditivè per principia naturalia, nec Angelus à potentia visiva videri: quia licet Deus plus distet à lumine gloriæ in genere entis, quam gratia à natura, & quam Angelus à potentia visiva, non tamen tantum distat distantia habitudinis; Deus enim continetur intra objectum nostri intellectus, & luminis gloriæ, sed non gratia intra objectum naturæ, nec Angelus intra objectum potentie visivæ. Id ipsum & à fortiori est dicendum in præsentia, nempe quod licet ordo hypostaticus plus distet entitativè ab ordine gratiæ, quam iste ab ordine naturæ, non tamen ita distat distantia habitudinis, continetur enim intra objectum ordinis gratiæ; unde sicut hac ratione potest cadere sub merito congruo actuum procedentium à gratia, & per actum fidei credi, ita potest per actum scientiæ infusæ quidditivè cognosci.

60. Obijcies secundò contra secundam conclusionem: Ad comprehensionem requiritur quod principium cognoscitivum sit ejusdem perfectionis, ejusdemque immaterialitatis cum objecto comprehenso: unde quia Angelus superior excedit in perfectione & immaterialitate intellectum Angeli inferioris, non potest ab ipso comprehendere, ut in Tractatu de Angelis contra Bannem & Salmanticenses docuimus: Sed scientia supernaturalis infusa, non adæquat in perfectione & in immaterialitate plura entia supernaturalia, præsertim lumen gloriæ, & visionem beatificam, ut de se patet: Ergo anima Christi per hanc scientiam non potuit comprehendere plura entia supernaturalia.

61. Respondeo, distinguendo Majorem, illamque concedendo de principio radicali illius intellectus per quam aliquod objectum comprehenditur, negando verò illam de principio proximo ejusdem intellectus: nam ad comprehensionem non est necessarium quod principium proximum illius sit ejusdem perfectionis, ejusdemque immaterialitatis cum objecto comprehenso, sed sat est quod principium radicale intelligendi adæquet specificè immaterialitatem objecti, aliàs nullus Angelus comprehenderet seipsum, cum nullius Angeli intellectus ejus substantiam in perfectione adæquet. Quia ergo in Angelo inferiori comparato ad superiorem, non solum intellectus, qui est principium proximum intellectus, sed etiam natura, quæ est principium radicale, est inferioris immaterialitatis specificæ ad substantiam Angeli superioris, consequens fit quod illam non comprehendat. In nostro autem casu, licet scientia supernaturalis infusa, quæ est principium proximum intelligendi, non adæquet luminis gloriæ perfectionem, gratia tamen quæ est principium radicale, lumen gloriæ, & visionem beatificam superat, quia in ordine supernaturali natura à qua lumen gloriæ ut proprietas di-

A manat, & natura in quocumque ordine suas excedit proprietates: unde cognitio scientiæ infusæ animæ Christi, est luminis gloriæ & visionis beatificæ comprehensio. Ita egregiè & acutè Cipulus hic art. 1. dubio 5. paragrapho 2. ad primam objectionem. Displicet tamen ratio quam assignat ad ostendendum non requiri ad comprehensionem quod principium proximum illius sit ejusdem perfectionis, ejusdemque immaterialitatis cum objecto comprehenso, ait enim illam peti ex eo quod principium proximum intelligendi est instrumentum substantiæ intelligentis; instrumentum autem non petit cum effectu adæquari. Non placet, inquam, hæc ratio, quia falsum est quod principium proximum intelligendi instrumentaliter ad intellectionem concurrat, ut communiter docent Thomistæ in Tractatu de visione beatifica. Vera ergo & legitima ratio est illa quam tradit Illustrissimus Episcopus Oxoniensis in manuscriptis de scientia Christi: quia nimirum ex principio radicali, & ex potentia, ac virtute potentie, conflatur adæquata causa intellectus, non ut ex causis partialibus, sed ut ex partibus causæ: non est autem necessarium quod effectus partem causæ non excedat, sed solum quod non superet adæquatam sui causam; ac proinde ut intellectio sit alicujus objecti comprehensio, non requiritur quod potentia quæ est pars causæ, adæquet entitatem objecti, sed sat est quod causa adæquata, ratione principij radicalis, vel proximi, sit æqualis perfectionis cum illo.

Obijcies tertio: Christi anima per scientiam inditam non comprehendit potentiam obedientialem tam activam quam passivam, quæ est defecto in creaturis: Sed talis potentia, cum actum seu formam ordinis supernaturalis respiciat, pertinet ad ordinem supernaturalem: Ergo anima Christi per scientiā inditam omne ens supernaturalis ordinis non comprehendit. Major probatur: Ad comprehensionem potentie obedientialis tam activæ quam passivæ, requiritur cognitio omnium formarum quas potest recipere, & omnium effectuum ad quos instrumentaliter concurrere potest, subindeque & termini adæquati divinæ omnipotentie: Sed anima Christi per scientiam supernaturalem infusam, terminum adæquatam divinæ omnipotentie non comprehendit, aliàs divina omnipotentia esset ab ipsa comprehensibilis: Ergo anima Christi per scientiam inditam, potentiam obedientialem quæ est in creaturis non comprehendit.

Respondeo, negando Majorem, & ad illius probationem, nego pariter Majorem: sicut enim ut intellectus Angeli superioris comprehendat intellectum Angeli sibi inferioris, non est necessarium quod cognoscat omnes actus, quos secundum se & absolute potest producere circa infinita objecta possibilea specie diversa, quia nimirum secundum se & absolute, præscindendo à speciebus, non est causa adæquata talis cognitionis. Ita similiter cum potentia obedientialis non sit, præscindendo à divina omnipotentia, causa adæquata omnium effectuum supernaturalium, ad comprehensionem illius non est necesse cognoscere, saltem in particulari, omnes illos effectus.



ARTICVLVS IV.

Utrum anima Christi per scientiam infusam supernaturalem, cogitationes cordium occultas, & futura contingentia cognoverit?

64. **P** Artem negativam docere tenentur Authores art. 2. citati pro sententia quæ negat Christi animam per scientiam supernaturalem infusam cognovisse singularia & existentia, id enim potiori jure tenentur asserere de actibus liberis, & de futuris contingentibus. Lorca etiam hic disp. 50. num. 12. ut probabiliorem sequitur sententiam quæ cognitionem cogitationum cordium & futurorum contingentium denegat scientiæ infusæ animæ Christi. Sententia tamen affirmans Christum illa per talem scientiam extra verbum cognoscere, communis est apud Theologos, eamque tam domestici quam extranei, cum S. Doctore hic art. 1. unanimi consensu docent. Unde sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

- D**ico igitur: Anima Christi per scientiam infusam, supernaturalem, occultas cordium cogitationes, & futura contingentia cognovit.
65. **U**traque pars hujus conclusionis colligitur expressè ex doctrina D. Thomæ hic art. 1. ubi docet Christum per scientiam infusam cognovisse omnia que per revelationem hominibus innotescunt: Sed homines per revelationem cogitationes cordium & futura contingentia cognoscunt, multa enim ex his sunt manifestata Prophetis: Ergo cognoscuntur ab anima Christi per scientiam supernaturalem infusam. Afferit etiam S. Doctor in eodem articulo, Christum cognovisse per scientiam infusam omnia, præter Dei essentiam: Ergo sentit cogitationes cordium, & futura contingentia comprehendi sub objecto talis scientiæ, & per eam à Christo cognosci. Unde ut notat Cajetanus hic art. 1. circa solutionem ad 3. S. Doctor hic retrahat quæ docuerat quæst. 20. de verit. art. 6. ubi asserit animam Christi in verbo tantum futura contingentia & cogitationes cordium cognovisse. Licet Bergomensis in tabula aurea dubio 1217. ipsum explicare conetur, dicendo ibi solam negare animæ Christi cognitionem speculativam prædictorum objectorum, non verò cognitionem prædictam. Vel loqui de Christo, prout est singularis persona, non verò de illo, ut est caput Ecclesiæ & supremus omnium iudex.
66. **P**otest etiam conclusio ratione suaderi: Nam scientia indita ponitur in anima Christi propter ejus perfectionem, ut nimirum per eam reducat omnis potentialitas illius, tam obedientialis, quam naturalis: Sed in anima Christi est potentia obedientialis ad cognoscendū per scientiam infusam cogitationes cordium, & futura contingentia: Ergo de facto illa per talem scientiam cognovit. Major patet ex dictis articulo primo, Minor probatur. Potentia obedientialis respicit id omne quod non implicat contradictionem: Sed nulla potest assignari implicantia contradictionis in eo quod cogitationes cordium, & futura contingentia, supernaturaliter & per lumen à Deo infusum cognoscantur: Ergo est in anima Christi potentia obedientialis ad ea cognoscenda per scientiam inditam. Major est evidens, Minor probatur primo. Deus cogitationes cordium, & futura con-

Tom. IV.

Atingentia in seipsis cognoscit: Sed nulla est ratio cur hæc perfectio divinæ cognitionis nequeat supernaturaliter creaturæ communicari: Ergo est possibilis creaturæ, cognitio secretarum cogitationum hominis, & futurorum contingentium in seipsis.

Secundò, Cogitationes cordis & futura contingentia, ex suppositione decreti liberi Dei de illorum existentia in tempore, habent in se veritatem determinatam: Ergo possunt per speciem à Deo infusam representari, subindeque ab intellectu creato supernaturaliter cognosci. Unde multis Sanctis per divinam revelationem innotuerunt cogitationes cordium, & futura contingentia, juxta illud Apostoli, ad Corinth. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ preparavit Deus iis qui diligunt illum, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Quasi diceret, ea quæ speciebus à rebus acceptis cognoscere non valemus, qualia sunt dona gratiæ & gloriæ, nobis Deus revelavit per Spiritum suum: qui autem revelat majora, potest utique & minora hominibus revelare quæ sensibus non subjiuntur, ut cogitationes liberas, & affectiones cordium, ac futura contingentia.

Addo quod, etsi nulli Sanctorum hæc notitia supernaturaliter data esset, debuit tamen Christo concedi, quia ipse est Rex universorum, & Dominus omnium, futurusque est aliquando iudex cordium: unde congruentissimum fuit, ut etiam quatenus viator, ea clarè in seipsis, æquè ac cætera naturalia objecta contueretur quæ in cordibus voluntur; ut reipsa ab ipso factum, constaret variis Scripturæ testimoniis: dicitur enim Matth. 9. *Cum vidisset Jesus cogitationes eorum dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Et cap. 12. *Jesus autem sciens cogitationes eorum.* Item Joan. 21. cum Christus interrogasset Petrum, his verbis *Simon Joannis amas me?* Respondit Petrus, & dixit ei: *Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Quæ verba Theodoretus sermone de charitate sic exponit: *Is autem ipsum citavit ad suum in eum amorem testificandum. Domine enim (inquit) tu scis quia amo te. In animis enim hominum infides, & aperit scis motus cogitationis; nec te aliquid latet ex rebus humanis: nosti enim omnia & antiqua & extrema.*

Decuit etiam, ob unionem humanitatis ad Verbum, & supremum Christi in quæcunque aliquando existentia dominium, ut futurorum quoque notitia ei communicaretur. Unde Cyrillus libro de Sancta Trinitate capite 22. *Quamquam Dominus naturam ignorantem assumpsit, divinas tamen ei prerogativas & dotes impertivit; habebatque anima Domini omnem sapientiam divinam juxta & humanam, omnem notitiam eorum quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt, non naturā, non gratiā, sed propter unionem personalem cum eo qui solus est sapiens. & omnia etiam prius quam oriantur ante sæcula novit.*

Accedebat quoque titulus magisterij, Christo tantum prout viatori competens, ratione ejus debebatur ei futurorum notitia, ut hoc etiam modo tanquam divino suffragio, doctrinam suam muniret, & certissimum divinitatis suæ argumentum præberet; nihil enim adeo divinitatis suffragium prodit, quam divinatio seu prænotio futurorum. Unde Tertullianus in Apolog. capite vigesimo: *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Et

G G g ij

Laetantius notavit libro primo institutionum capite undecimo, à divinatione denominari divinitatem, sicut ab homine humanitatem. Ut ergo Christus verum se Deum & veritatis magistrum ostenderet, debuit prænuntiare futura contingentia, etiam libera. Unde Matthæi 26. in nocte passionis dixit Petro: *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Et Lucæ 19. *Videns civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis; quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternerunt te & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.*

71. Denique, Beati cognoscunt non solum in verbo per scientiam beatam, sed etiam extra verbum per scientiam infusam, illa omnia quæ hîc in via per dona prophetiæ & discretionis spirituum cognoscuntur: Sed per illa duo dona, futura contingentia, & cogitationes cordis cognoscuntur à Sanctis & Prophetis: Ergo pariter Christus, qui ab instanti suæ conceptionis simul erat viator & comprehensor, non solum per scientiam beatam, sed etiam per scientiam inditam, illa clarè & distinctè cognovit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

72. **O**bjicies primò: Anima Christi per scientiam supernaturalem infusam ea tantum cognovit ad quæ agnoscenda potentiam obedientialem habebat: Sed in ea non erat potentia obedientialis ad cognoscendas cogitationes cordium, & futura contingentia: Ergo illa objecta per scientiam supernaturalem infusam non cognovit. Major patet ex supra dictis, Minor probatur. Cognoscere cogitationes cordium & futura contingentia, est proprium Dei, secundum illud Jeremiæ 17. *Pravum est cor hominis & inscrutabile, & quis cognosceret illud? Ego Dominus scrutans corda.* Et istud Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia dii estis vos.* At in Christi anima non est potentia obedientialis ad id quod est proprium Deo: Ergo nec ad cognoscendum per scientiam supernaturalem infusam cogitationes cordium & futura contingentia.

73. Respondeo, concessà Majori, negando Minorem, ad cujus probationem dicendum, cognitionem cogitationum cordis, & futurorum contingentium, in Scriptura dici propriam Dei, non quod non possit per gratiam & donum supernaturale creaturæ communicari (ut enim supra dicebamus, per dona prophetiæ & discretionis spirituum illa objecta cognoscuntur) sed quia talis cognitio nulli intellectui creato, etiam perfectissimo, qualis est intellectus Angeli, vel animæ Christi, potest esse connaturalis. Sicut in Scriptura Deus dicitur invisibilis, quia clara Dei visio nulli creaturæ potest connaturaliter competere, non verò ex eo quod ad illam nullo modo possit pertingere: nam ut bellè ait Anselmus, *Deus cum sit inaccessibleis nostris viribus, acceditur ad eum suis muneribus.*

74. Objicies secundò cum Lorea: Christus cogitationes cordium, & futura contingentia cognovit in verbo, cum à primo instanti suæ conceptionis

A fuerit beatus, & divinam essentiam viderit: Ergo inutile videtur ac superfluum admittere aliam in Christo scientiam, per quam eadem objecta extra verbum & in seipsis immediatè cognoverit.

Sed negatur Consequentia, ut enim art. 1. ostensum est, animæ Christi non solum est concedenda omnium objectorum cognitio, sed etiam omnis modus cognitionis possibilis, & non impossibile cum majori perfectione: modus autem cognoscendi cogitationes cordium, & futura contingentia extra verbum, per scientiam à Deo infusam, possibilis est, ut §. præcedenti vidimus, & ille cum majori perfectione, seu cum cognitione beatifica, stare potest, ut fateatur Lorea, docens Christum per scientiam infusam cognovisse substantias spirituales, & entia naturalia, ac mysteria gratiæ, & nihilominus illorum omnium habuisse cognitionem in verbo. Cur igitur idem dici non poterit de cogitationibus cordium, & de futuris contingentibus? Certè hic Author parum consequenter ad sua principia disserit.

Sed instat, & objicit rursus: Intellectui Christi non est concedenda perfectio, nisi illa intellectui creato in ordine naturæ vel gratiæ debita sit: Sed cognitio secretorum cordis, & futurorum contingentium in seipsis, non est debita intellectui creato in ordine naturæ, vel gratiæ: Ergo non est animæ Christi tribuenda.

C Respondeo primò, negando Majorem, nam ut sæpe diximus, animæ Christi ratione unionis hypostaticæ, concedenda est omnis perfectio possibilis, in determinato gradu existens, & cum majori perfectione non impossibile, tamen illa nec in ordine naturali, nec supernaturali debeatur.

Respondeo secundò, datà Majori, distinguendo Minorem: Cognitio secretorum cordis & futurorum contingentium in seipsis, non est debita intellectui creato, prout est sub statu supernaturali simpliciter, concedo Minorem: prout existit sub plenitudine gratiæ, qualis est intellectus animæ Christi, nego Minorem. Sicut enim gratiæ in statu plenitudinis quem obtinet in anima Christi, debetur virtus justitiæ commutativæ ad Deum, quamvis illi non debeatur extra statum plenitudinis, & prout in pura creatura existit: ita cognitio secretorum cordis, & futurorum contingentium in seipsis, debetur ordini gratiæ, non ut est in pura creatura, sed ut est in homine Deo, in quo est in tota sua plenitudine, & in statu perfectò & connaturali, ut declaravimus supra.

Objicies quartò: Angeli non possunt occultas cordium nostrorum cogitationes cognoscere, quia in nostras voluntates dominium non habent, ut in Tractatu de Angelis ostensum est: Sed Christus, ut homo, non habet dominium in voluntates nostras, sed solum ut Deus: Ergo animæ Christi cogitationes liberas quæ à sola voluntate humana dependent cognoscere nequit.

Respondeo primò, ex eo quod Angelus non habeat dominium in nostras voluntates rectè quidem probari quod non possit virtute suæ naturæ occultas cordium nostrorum cogitationes, sed actus liberos nostræ voluntatis cognoscere, eandemque rationem etiam valere ad demonstrandum quod anima Christi, seu Christus ut homo, non possit viribus naturæ cognoscere eadem objecta. Cæterum sicut hæc ratio non impedit, quominus possint cogitationes unius Angeli ab altero cognosci, Deo illas revelante: ita nec obstat potest, quin possint ab anima Christi cognosci

DE SCIENTIA INFUSA ANIMÆ CHRISTI. 605

extra verbum in seipsis, Deo per suam gratiam specialiter iuvante, & species repræsentativas illorum prout in se sunt infundente.

81. Respondeo secundò, data Majori, negando Minorem; cum enim Christus ut homo sit caput Angelorum & hominum, & iudex omnium nostrorum actus, etiam interiorum, habet jus ad cognitionem illorum; & propter summam ejus excellentiam, ei dominium aliquod in nostris voluntates competit, non tamen supremum, aut æquale summo & independenti dominio Dei.

ARTICULVS V.

Quomodo anima Christi, per scientiam supernaturalem infusam, futura contingentia cognoscat?

82. Quatuor solum videntur esse modi, quibus dici potest Christi anima per scientiam infusam futura contingentia cognoscere. Primus est in causa, vel effectu eorum, ut si daretur aliqua causa, vel effectus eorum, ostendens certò & evidenter talia contingentia esse futura. Secundus est in testimonio Dei dicentis & revelantis ea, ut si Deus immediatè per seipsum revelaret ea quæ futura sunt, sicut revelavit Prophetis. Tertius est in decreto divinæ voluntatis determinantis eorum futuritionem, quo pacto beati, & ipse Deus, futura contingentia cognoscunt, ut in Tractatibus de visione beata & de scientia Dei, fusè ostendimus. Quartus est in seipsis immediatè, ut si cognitio animæ Christi terminaretur immediatè ad ipsa futura secundum se, & non mediante aliquo obiecto priùs cognito. Quæritur ergo, quoniam ex his quatuor modis, anima Christi, per scientiam supernaturalem infusam, futura contingentia cognoscat?

S. I.

Reiciuntur tres primi modi dicendi, & quartus statuitur.

Dico primò: Anima Christi non cognoscit per scientiam supernaturalem infusam futura contingentia in causa vel effectu eorum.

83. Probatur prima pars: Causa futuri contingentis in actu primo est indifferens ad esse vel non esse illius: At in principio indifferenti nequit certò cognosci aliquid determinatum, ut in Tractatu de scientia Dei fusè contra Molinam ostendimus: Ergo anima Christi non potest certò cognoscere per scientiam supernaturalem infusam futura contingentia, in eorum causa, in actu primo considerata.

84. Confirmatur: Futura contingentia, ut sunt in suis causis, non habent determinatam veritatem, sicut nec entitatem, cum illa, secluso divino decreto eas prædeterminante, sint indifferentes ad operandum, vel non operandum, ut ibidem demonstravimus: Ergo non possunt certò & infallibiliter in ipsis cognosci, sed duntaxat conjecturaliter & probabiliter: At anima Christi per scientiam infusam futura contingentia certò cognoscit: Ergo illa non videt in causis ipsorum in actu primo consideratis.

Quod etiam ea non cognoscat in aliquo effectu ipsorum, videtur manifestum: nam vel effectus ille est futurus, & sic de eo eadem erit quæstio ac de ipso futuro contingenti: vel est præsens, & sic

Tom. IV.

A non erit effectus ipsius futuri, & ita non potest esse realiter causa, cum existentia sit conditio necessaria in causa efficiente ad cauandum & operandum.

Dico secundò, anima Christi non cognoscit per scientiam supernaturalem infusam futura contingentia, in testimonio Dei dicentis & revelantis ea. Est contra Medinam hic art. 1. difficultate 2. & Suarezem disput. 27. sect. 2.

Probatur breviter: Objectum scientiæ supernaturalis infusæ est ens creatum, ut in se & ratione sui cognoscibile: quod autem cognoscitur mediante revelatione, vel testimonio divino, non in se, & ratione sui, sed per extrinsecum medium cognoscitur: Ergo per scientiam infusam nequeunt cognosci futura contingentia in testimonio divino.

Confirmatur: Cognitio futurorum contingentium in testimonio Dei revelantis, ad fidem, vel prophetiam pertinet, non verò ad scientiam infusam, ut patebit ex infra dicendis: Ergo Christus per scientiam infusam non cognoscit futura contingentia in testimonio divino, sed duntaxat per lumen propheticum, quod à lumine gloriæ & à scientia infusa distinguitur, per hoc quod lumen beatificum creaturas in divina essentia cognoscit, scientia infusa illas in seipsis attingit, lumen autem propheticum in testimonio divino, evidenti, vel obscuro.

Dico tertio: Christus non cognoscit futura contingentia per scientiam infusam in decreto Dei libero de illorum futuritione. Est contra Alvarezem hic disput. 39. ad 2. & contra Nazarium controver. unicâ quæst. 4.

Probatur primò: Aliter cognoscuntur futura contingentia per scientiam infusam, & aliter per scientiam beatam: Sed per istam cognoscuntur in decreto, ut in Tractatu de visione beata ostensum est: Ergo per illam in eo cognosci nequeunt.

Probatur secundò: Unus & idem habitus non potest entia creata in seipsis ratione sui attingere, & in libero Dei decreto: Sed scientia supernaturalis infusa animæ Christi est unus specie habitus, ut fatentur Alvarez & Nazarius; & res aliquas creatas in seipsis & ratione sui attingit, ut illi pariter non negant: Ergo non potest alias in decreto Dei cognoscere. Major in qua est difficultas, sic ostenditur. Habitus diversificatur specie penes diversa motiva vel media cognoscendi: Sed decretum liberum Dei, & prædicata intrinseca rerum creaturarum, sunt media & motiva cognoscendi, in movendo valde diversa: Ergo non possunt ab eodem habitu respici.

Confirmatur: Divina essentia, & propria creaturarum natura, sunt media & motiva ad eò diversa, ut ab eodem habitu respici nequeant, alias scientia infusa non esset habitus à lumine gloriæ & scientia beatà distinctus, quod Alvarez & Nazarius non admittunt: Ergo pariter decretum liberum Dei, & propria creaturarum natura, non possunt ut motiva cognoscendi ab eodem habitu respici.

Dico quarto: Christus per scientiam infusam cognoscit futura contingentia immediatè in seipsis, seu per species immediatè illa repræsentantes.

Hæc conclusio sequitur ex præcedentibus, si enim anima Christi per scientiam infusam non cognoscit futura contingentia in causa, vel effectu eorum, nec in testimonio Dei dicentis & revelantis ea, nec in libero Dei decreto, non restat alius modus per quem ea cognoscere possit, quam immediatè in seipsis, per species à Deo

G G g iij

infusas, immediatè illa repræsentantes.

Addo quod scientia infusa animæ Christi cognoscit per proprias species omnia quæ per proprias species sunt in seipsis repræsentabilia: Sed futura contingentia repræsentari possunt per proprias species, ut ex solutione argumentorum patet: Ergo à scientia infusa animæ Christi cognoscuntur per proprias species ea immediatè repræsentantes.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem ea solùm militant argumenta, quibus Molina probare nititur, Deum in causis secundis futura contingentia certò cognoscere, quæ in Tractatu de scientia Dei, disputatione 4. art. 3. §. 6. plenè soluta sunt, unde hic ea prætermittimus, & ad hunc locum Lectorem remittimus, ne eadem inutiliter repetantur.

91. Contra secundam obijciuntur primò: Cognitio futurorum in testimonio divino clarè & evidenter cognito est possibilis, ut ostendimus in Tractatu de fide, estque compatibilis cum unione hypostatica, visione clarâ Dei, & omni aliâ perfectione majori: At omnis perfectio possibilis, & compatibilis cum majori perfectione, est animæ Christi tribuenda: Ergo concedenda est Christo cognitio futurorum contingentium in divino testimonio, & consequenter hujus cognitionis principium: At principium istius cognitionis non est lumen gloriæ, per quod solùm cognoscuntur objecta creata in verbo, nec fides, quæ in Christo non fuit: Ergo principium illius est scientia supernaturalis infusa. Major pro prima parte docetur in Tractatu de fide: Pro secunda verò, in qua sola est posita difficultas, sic ostenditur. Cognitio fidei ideò est cum visione clara ejusdem objecti incompatibilis, quia est essentialiter obscura: Sed cognitio futurorum in divino testimonio clarè & evidenter cognito, non est essentialiter obscura: Ergo non pugnat cum visione clara Dei, aut cum cognitione evidenti futurorum in seipsis, & consequenter cum omni alia perfectione majori incompatibilis non est.

92. Respondeo, concessa Majori & Minori, cum prima Consequentia, negando Minorem subsumptam, datur enim aliud lumen, præter ibi enumerata, à quo procedat cognitio futurorum in testimonio divino, nimirum lumen propheticum, quod (ut suprâ annotavimus) à lumine gloriæ, & scientia infusa distinguitur, per hoc quod lumen beatificum creaturas in divina essentia cognoscit, scientia infusa illas in seipsis attingit, lumen verò propheticum in testimonio divino, evidenti, vel obscuro.

93. Nec valet si dicas, D. Thomam quæst. 20. de verit. art. 6. expressè docere quod Christus non cognovit futura contingentia, cognitione prophetiæ, quia prophetia est quedam imperfecta participatio illius visionis quâ videntur res in verbo, quæ cum in Christo perfecta fuerit, imperfectio prophetiæ in illo locum non habuit. Non valet, inquam, nam vel S. Doctor id retractavit in hac parte quæst. 7. art. 8. ubi expressè docet in Christo, dum erat viator simul & comprehensor, fuisse lumen propheticum. Vel solùm negat animæ Christi propheticam cognitionem, secundùm quod regulariter prophetia in hominibus invenitur, nempe cum obscuritate; non autem secundùm essentiam prophetiæ, de cujus essentiali ratio.

A ne non est obscuritas ut suprâ disp. 12. ar. 5. docuimus. Quod verò hæc interpretatio sit legitima, & S. Thomas eo loco in hoc sensu locutus fuerit, satis insinuant illa verba, *imperfectio prophetiæ in Christo locum non habuit*, quibus non essentiam, sed duntaxat imperfectionem prophetiæ, quæ per accedens ei contingit, ab anima Christi excludit.

Obijciens secundò contra tertiam conclusionem: Ad perfectionem animæ Christi pertinet quod non solùm omnia cognoscat, sed etiam omni modo & genere cognitionis possibili: Sed possibile est quod anima Christi per scientiam supernaturalem infusam cognoscat futura contingentia in libero Dei decreto de eorum futuritione, hoc enim nullam involvere videtur repugnantiam: Ergo de facto ea in decreto per scientiam infusam cognoscit.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, licet enim anima Christi futura contingentia in decreto cognoscere possit, non tamen per scientiam infusam, sed solùm per scientiam beatam: quod enim in decreto divino cognoscitur, non in se & ratione sui, sed in alio ut in causa cognoscitur; scientia verò infusa, ad res creatas in seipsis terminatur. Unde cognitio futurorum contingentium in decreto, non spectat ad scientiam infusam, sed ad scientiam beatam, quæ creaturas omnes sive possibiles sive futuras in essentia divina contemplatur, ut in Tractatu de visione beatifica fusè ostendimus.

Obijciens tertio: Deus non potest futura contingentia in seipsis immediatè cognoscere, sed solùm mediante libero suæ voluntatis decreto, ut cognito, seu ut medio cognoscendi, ut in Tractatu de scientia Dei contra defensores scientiæ medix demonstravimus: Ergo pariter anima Christi non poterit futura contingentia in seipsis immediatè cognoscere, sed solùm in libero divinæ voluntatis decreto, ut in medio priùs cognito.

Sed nego consequentiam & paritatem: Ratio autem discriminis est, quia cognitioni divinæ sub quacumque formalitate repugnat specificari à veritate creata, ac proinde immediatè ad illam terminari; unde omnia sive possibilia sive futura, in sua essentia, vel nudè sumpta, vel per liberum suæ voluntatis decretum determinata, ut in causa, & medio priùs cognito, contemplatur: cognitioni autem create animæ Christi, sicut non repugnat specificari à creaturis, ita nec ad illas immediatè terminari.

§. III.

Solvuntur alia argumenta contra quartam conclusionem fieri solita.

E Contra quartam conclusionem, in qua diximus Christum per scientiam infusam cognoscere futura contingentia immediatè in seipsis, per species à Deo infusas, immediatè illa repræsentantes, plura ac difficilia obijci solent argumenta, quæ breviter hic proponemus & diluemus.

Obijciunt ergo primò: D. Thomas 1. p. quæst. 37. art. 3. sic ait: *Alio modo cognoscuntur futura in seipsis & sic solius Dei est futura cognoscere, quia Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cum sit simplex, toti temporis adest, & illud includit*: Ergo anima Christi Domini, per scientiam supernaturalem infusam nequit futura contingentia in seipsis immediatè cognoscere. Consequentia manifesta videtur: Tum quia illa sic cognoscere, solius Dei est, ut docet D. Thomas. Tum etiam, quia

DE SCIENTIA INFUSA ANIMÆ CHRISTI. 607

scientia infusa non mensuratur æternitate, neque in æternitate potest futura cognoscere: sola autem cognitio mensurata æternitate, vel in illa suum objectum attingens, potest ad futura prout in se sunt terminari.

99. Respondeo D. Thomam eo loco solum excludere ab Angelis cognitionem futurorum contingentium, ut illis connaturalem, seu ut ex viribus naturæ habitam; & hoc rectè ratione quam ibidem adducit ostendere, quia nempe solius Dei est connaturaliter futura in seipsis cognoscere, eo quod illa in sua æternitate intueatur, quæ una cum sit, sub se ambit omnes differentias temporum. Unde ex hoc testimonio & discursu D. Thomæ solum inferri potest, animam Christi non posse naturaliter futura contingentia in seipsis cognoscere, non verò quod per principia supernaturalia, nimirum per species à Deo infusas, ea immediatè repræsentantes, in seipsis immediatè cognoscere nequeat.

100. Obijciunt secundò: Communis Thomistarum sententia docet futura contingentia non cognosci ab intellectu divino immediatè in seipsis, & in eorum veritate objectiva: Ergo à fortiori ab intellectu creato animæ Christi sic cognosci nequeunt.

101. Respondeo communem Thomistarum sententiam asserere non posse futura contingentia cognosci in veritate objectiva, pro priori ad decretum liberum voluntatis divinæ, cujus contrarium affirmatur à defensoribus scientiæ mediæ; sed Thomistas non negare quod supposito decreto libero voluntatis divinæ, possint futura contingentia cognosci à Deo in seipsis ex parte rei cognita, non ex parte mediæ, quod respectu intellectus divinæ solum est divina essentia, ne Dei cognitio à creaturis suam specificationem desumat; quod cum non sit inconveniens respectu cognitionis creaturæ Christi, possunt per illam futura contingentia cognosci in seipsis immediatè, non solum ex parte rei cognita, sed etiam ex parte mediæ cognoscendi.

102. Instabis, Futura contingentia non possunt cognosci ab anima Christi, non cognito libero Dei decreto: Ergo non possunt ab illa per scientiam infusam cognosci immediatè tam ex parte mediæ cognoscendi, quam ex parte rei cognita. Consequentia patet, Antecedens probatur primò. Futurum contingens non potest certò cognosci, nisi certò cognoscatur ut ad unam partem determinatum: Sed pro tempore futuritionis non habet aliam determinationem quam sibi extrinsecam, à decreto libero sumptam: Ergo non potest cognosci, non cognito libero Dei decreto.

Secundò, Futurum in ratione futuri constituitur per causæ determinationem ad dandam illi existentiam: Ergo antequam existat determinatio causæ secundæ, constituitur in ratione futuri per determinationem causæ primæ, quæ est ipsum divinæ voluntatis decretum, & per consequens non potest ut futurum cognosci, non cognito libero Dei decreto.

Tertiò, Si futurum contingens ab intellectu creato animæ Christi per scientiam infusam in seipso cognoscitur, elicitur ejus cognitio mediante specie impressâ, participata ab essentia divina, ut in ratione speciei futura in se repræsentante: Ergo cum divina essentia non repræsentet immediatè futura, sed mediante decreto ut prius repræsentato; species creata, quæ est illius participatio, non nisi medio decreto ut prius repræsentato, futura contingentia repræsentare potest.

A Respondeo distinguendo Antecedens: Futura contingentia non possunt cognosci non cognito decreto, immediatè in seipso, nego Antecedens. Non cognito decreto mediatè & in alio, concedo Antecedens, & nego Consequentiam.

Explicatur solutio: Sicut causa necessaria potest cognosci in effectu, & effectus in ipsa: ita effectus contingens vel liber potest cognosci in causa, nempe in decreto, & decretum in ipso. Licet autem anima Christi per scientiam infusam non cognoscat decretum immediatè in seipso, quia non datur species creata illud in se immediatè repræsentans, cognoscitur tamen in effectu contingenti futuro; & hoc sufficit ad hoc ut futura contingentia immediatè in seipsis ab anima Christi per scientiam infusam cognoscantur: ex quo ad primam & secundam Antecedentis probationem constat solutio.

Ad tertiam, concessò Antecedentè, neganda est Consequentia: nam divina essentia ut species duo habet, nempe repræsentare futura in decreto, ut in medio, & in seipsis ex parte rei repræsentatæ, subindeque potest participari à specie supernaturali creata, quoad claram repræsentationem futuri in seipso, absque eo quod participetur quoad repræsentationem illius in decreto ut in medio. Sicut licet prophetia sit participatio divinæ præscientiæ, & Dei scientia respiciat ordinem ad eventum, qui ordo præsens est futuritioni tempore; & eventum ipsum, qui præsens non est, sed futurus, potest nihilominus (ut docet D. Thomas quæst. 12 de verit. art. 10. in corp. & ad 2.) participari per prophetiam respectus ad ordinem, non participato respectu ad eventum, ut quando revelatur Prophetæ ordo causarum, & illarum propensio ad eventum, & occultatur ordinis executio.

Obijciens tertio: Futura contingentia non sunt repræsentabilia in seipsis per aliquam speciem creatam: Ergo non possunt per scientiam supernaturalem animæ Christi infusam immediatè in seipsis per speciem à Deo inditam cognosci. Consequentia patet, Antecedens probatur primò. Quod non habet determinatum esse, non est repræsentabile per propriam speciem; quandoquidem repræsentatio speciei, cum sit naturalis, non potest esse illius quod est indifferens ad essendum & non essendum: Sed futurum contingens, v. g. Petrus cras disputabit, non habet esse determinatum, sed indifferens ad essendum & non essendum: Ergo non est repræsentabile in seipso per aliquam speciem creatam.

Secundò, Si futura contingentia possent per speciem creatam in seipsis repræsentari, possent ab Angelo naturaliter cognosci: Sed hoc dici nequit, ut in Tractatu de Angelis ostensum est: Ergo nec illud.

Tertiò, Si posset dari species creata futura contingentia in seipsis repræsentans, vel illa esset naturalis, vel supernaturalis: Non primum, aliàs esset alicui creaturæ debita, & per consequens cognitio futurorum contingentium in seipsis alicui creaturæ deberetur, quod dici nequit, cum futurorum notitia (ut supra dicebamus) certissimum sit divinitatis argumentum. Nec secundum, quia plura ex objectis futuris naturalia sunt: species autem supernaturalis, supernaturale objectum exposcit: Ergo non est possibilis species creata futura contingentia in seipsis repræsentans.

Respondeo negando Antecedens, nulla enim ex parte repugnat produci speciem futura contin-

103

104

105

gentia in seipsis representantem: nam in primis A non repugnat ex parte ipsius futuri, quia, ut statim dicemus, futurum, prout absoluto & efficaci divinæ voluntatis decreto subditur, est representabile per speciem creatam, quia prout sic habet esse determinatum in suis causis. Similiter non repugnat ex parte ipsius speciei, quia hæc species, quamvis sit creata, est altioris ordinis quam omnes species creatæ quæ possunt esse connaturales alicui intellectui creato, & est peculiariter producta ad imitationem divinæ essentiae: quare sicut divina essentia, ut habet adjunctam determinationem suæ voluntatis, representat futura contingentia per modum speciei intelligibilis, ita etiam hæc species potest participare hanc perfectionem, ut futurum contingens directè & immediatè representet. Uade ad primam probationem in contrarium, concessa Majori, distinguo Minorem: Futurum contingens secundum se sumptum non habet determinatum esse, concedo Majorem. Ut subest efficaci & absoluto decreto voluntatis divinæ, nego Minorem, & Consequentiam. Licet ergo futurum contingens secundum se consideratum, & pro priori actûs primi omnium suarum causarum, sit omnino indifferens ad esse & non esse, ac proinde prout sic representari nequeat per aliquam speciem, nec subesset infallibili cognitioni, supposita tamen præsentī determinatione causæ primæ, qualiter à nobis pro statu futurationis supponitur, jam est ad esse determinatum, non pro tempore quo dicitur futurum, sed ad esse pro illo tempore pro quo ut existat per liberam Dei voluntatem decernitur; & hac determinatione ad essendum supposita, potest per speciem creatam supernaturaliter à Deo infusam representari, & infallibili cognitioni subesse, subindeque per scientiam supernaturalem animæ Christi infusam in se immediatè cognosci.

Ad secundam probationem Antecedentis, nego sequelam Majoris, nam entia supernaturalia, & cogitationes cordium, sunt representabilia per speciem creatam, & tamen nequeunt ab Angelo naturaliter cognosci: non ergo ex eo quod futura contingentia possint per speciem creatam in seipsis representari, sequitur quod possint ab Angelo naturaliter cognosci: ratio autem à priori hujus impotentiae in Tractatu de Angelis tradita est.

Disp. 9.
art. 4.

Ad tertiam probationem Antecedentis, nego Minorem pro secunda parte: ad probationem in contrarium dicendum, ad speciem supernaturalitatem sufficere quod objectum sit supernaturale in ratione objecti cognoscibilis, quamvis entitativè non sit supernaturale: licet autem plura ex futuris contingentibus sint entitativè naturalia, omnia tamen in ratione objecti cognoscibilis supernaturalia sunt, eò quod eorum cognitio nulli creaturæ factæ aut factibili possit esse connaturalis; quod sicut sufficit, ut illorum cognitio sit supernaturalis entitativè, ita & ut species illa representans supernaturalis sit.

§. IV.

Resolvitur breviter dubitatio incidens, num scilicet cognitio quæ anima Christi per scientiam infusam futura contingentia contemplatur, dicenda sit intuitiva, vel abstractiva?

106. **R**atio dubitandi sumitur ex principiis jam statutis, ostendimus enim Christum per scientiam

tiam supernaturalem infusam futura contingentia in seipsis immediatè cognoscere: Sed cognitio ad rem immediatè & ut in se terminata, non est abstractiva, sed intuitiva: Ergo videtur quod Christus per scientiam supernaturalem infusam, non abstractivè, sed intuitivè, futura contingentia cognoscat. Ita Cajetanus hic art. 1. §. ad secundum dubium, Alvarez disput. 60. & Herrera in manuscriptis ad istum articulum.

Nihilominus probabilior videtur sententia Medinæ, Bannez, Nazarij & aliorum Thomistarum, existimantium animam Christi Domini, per scientiam supernaturalem infusam, etsi cognoscat futura contingentia in seipsis, ea tamen non cognoscere per notitiam propriè intuitivam.

Ratio fundamentalis est, quia notitia propriè intuitiva petit objectum sibi physicè coexistens in eadem mensura durationis: Sed cognitio scientiæ infusæ, & futura contingentia, non coexistunt physicè in eadem durationis mensura: Ergo talia futura per scientiam animæ Christi infusam, non cognoscuntur propriè intuitivè. Minor est certa, nam scientia infusa animæ Christi non mensuratur æternitate, sed tempore discreto: futura verò non coexistunt tempori, sed solum æternitati, quæ ratione suæ infinitatis, & indivisibilitatis ambit & continet in unico nunc indivisibili, quæ successivè existunt in tempore, ut in Tractatu de scientia Dei fusè exposuimus. Major verò, in qua est difficultas, probatur primò ex D. Thoma quæst. 3. de verit. art. 3. ad 8. ubi sic ait: *Simplex notitia dicitur, non ad excludendum respectum scientis ad scitum, qui inseparabiliter omnem scientiam comitatur, sed ad excludendam admixtionem ejus quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum quam addit scientia visionis.* Ergo juxta D. Thomam, scientia visionis, seu intuitiva notitia, petit terminari ad objectum actu extra causas existens, & physicè cognitioni coexistens.

Secundò, Idem S. Doctor variis in locis quæ loco citato Tractatûs de scientia Dei adduximus, ex eo probat præterita, præsentia, & futura, intuitivè à Deo videri, quia sunt ipsi in sua æternitate præsentia; quod de præsentia reali & physica, & non solum objectiva & intentionali, intelligendum esse, cum communi Thomistarum sententia, ibidem docuimus, & pluribus argumentis demonstravimus: Ergo ad rationem notitiæ intuitivæ exigitur physica objecti præsentia, in ea saltem duratione quæ mensuratur cognitio.

Tertiò, Nomen visionis, seu intuitûs, translatum est ex visione corporea ad significandâ cognitionem intellectualem: Sicut ergo ea quæ visione corporeâ cognoscuntur, sunt secundum actualem existentiam præsentia videnti; ita etiam quæ cognoscuntur ab intellectu, ut dicantur cognosci visione, seu notitiâ intuitivâ, debent esse præsentia secundum actualem existentiam cognoscenti, in ea saltem duratione quæ mensuratur cognitio.

Denique id patet ex definitione notitiæ intuitivæ, quæ rei præsentis notitia dicitur, quod intelligendum esse de præsentia physica, & non tantum de objectiva, ex eo manifestum videtur, quod aliàs non differret à notitia abstractiva, cum istius objectum objectivam & intentionalem præsentiam habeat in mente cognoscentis.

Ex his patet solutio ad rationem dubitandi initio propositam, concessa enim Majori, Minor distinguenda est: Cognitio ad rem immediatè & ut in se terminata, non est abstractiva, sed intuitiva: fines

si res illa physicè & realiter cognitioni coexistat, A in ea saltem duratione quâ mensuratur cognitio, concedo Minorem. Si ei non coexistat realiter, sed objectivè tantum, nego Minorem, & Consequentiam. Cognitio ergo futurorum habita per scientiam supernaturalem animæ Christi infusam, etsi ad illa in se terminetur, hoc est non in alio medio, & illorum existentiam ut futuram attingat; quia tamen non attingit illorum existentiam ut exercitam, & ipsi cognitioni physicè coexistentem, non est propriè & in rigore notitia intuitiva, sed abstractiva, ad quam non requiritur quod omnino ab existentia objecti præscindat, aliàs cognitio rei ut possibilitatem existentis, abstractiva notitia non esset, sed quod præscindat ab existentia objecti, ut physicè præsentis, & physicè coexistentis durationi illius.

Dixi cognitionem quâ anima Christi, per scientiam infusam, futura contingentia cognoscit, non esse propriè & rigorosè intuitivam, quia si intuitio largè & impropriè accipitur, prout scilicet cognitionem claram & evidentem significat, futura contingentia intuitivè per scientiam infusam animæ Christi cognoscuntur; nam ejus cognitio non est obscura & enigmatica, sicut notitia fidei, sed clara & manifesta.

§. V.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

109. EX dictis colligitur primò, duplex intercedere notabile discrimen inter notitiam futurorum contingentium, quam anima Christi habet per scientiam beatam, & eam quam elicit mediante scientiâ infusâ. In primis enim Christus per scientiam beatam, videt futura contingentia in decreto, ut medio prius cognito, seu potius in essentia divina, ut per illud determinata: scientia verò infusâ, nec in decreto, nec in alio medio prius cognito, futura cognoscit, sed ea in seipsis immediate, per species a Deo infusas illa immediate & directè representantes, contempletur.

Secundò, anima Christi per scientiam infusam non cognoscit futura contingentia, notitiâ propriè intuitivâ, benè tamen per scientiam beatam: quia mensura scientiæ infusæ, nimirum tempus discretum, non coexistit rebus præteritis & futuris, benè tamen æternitas, quæ est mensura scientiæ beatæ, seu visionis beatificæ.

110. Dices, Mensura visionis beatificæ non est æternitas essentialis, sed participata, ut in Tractatu de visione beatifica docuimus: Atqui æternitas participata non coexistit rebus præteritis & futuris, quia cum sit quid creatum & finitum, non continet eminenter durationes rerum inferiorum, sicut æternitas per essentiam, quæ mensurat esse divinum: Ergo ipsa etiam scientia beata animæ Christi, non cognoscit futura contingentia, per notitiam quæ sit verè & propriè intuitiva.

111. Respondeo, concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus probationem responderi potest primò cum Nazario hic art. 1. controversiâ unicâ quæst. 4. notabili 2. durationem visionis beatificæ, tametsi creata & finita sit, & ob hoc non contineat omnem durationem possibilem; quia tamen est formalis participatio æternitatis divinæ, & in supremo ordine durationum creaturarum constituta, continet eminenter omnem durationem realem præsentem, præteritam, & futuram; si-

Tem. IV.

mulque coexistit physicè omnibus rebus creatis, præteritis, præsentibus, & futuris; ac proinde visio mensurata per illam, est intuitiva notitia omnium horum objectorum.

Secundò & fortè melius dici potest, quod mensura visionis beatificæ est participatio inadæquata æternitatis Dei per essentiam, quæ esse Dei, ejusque operationes mensurat: in æternitate verò essentiali reperiuntur duo, nempe continere eminenter omnes durationum differentias, & rebus creatis coexistere, antequam sint in seipsis in suis propriis durationibus: ex quibus æternitas participata, quæ visionem beatificam mensurat, non participat primum, quia dicit infinitatem, benè tamen secundum, nempe physicè coexistere rebus præteritis, & futuris, ut in æternitate contentis, quia in hoc infinitas non relucet. Sicut ergo per scientiam infusam, participatur divina futurorum cognitio, sub conceptu evidentæ, & certitudinis, absque eo quod participetur sub conceptu intuitionis: ita per visionem beatam participatur cognitio divina, sub conceptu coexistentis physicè ad præterita & futura, ut in æternitate contenta, absque eo quod participetur sub conceptu continens eminenter differentias rerum præteritarum & futurarum, ac durationes illarum.

Colligitur secundò, cognitionem futurorum contingentium, quam anima Christi habet per lumen propheticum, non esse verè & propriè intuitivam: cum enim talis cognitio non mensuretur æternitate, sicut visio beatifica, sed tempore discreto, sicut scientia infusâ, non coexistit rebus præteritis & futuris; unde non potest magis obtinere rationem intuitionis, respectu futurorum contingentium, quàm scientiâ infusâ.

Dices, Propheta dicuntur in Scriptura *videntes*, 1. Regum 9. *Ubi est domus videntis?* Et Abraham ex eo quod prophético lumine cognoverit adventum Christi, dicitur Joan. 8. illud vidisse: *Abraham Pater vester exultavit quia videret diem istum, vidit & gavisus est.* Sed visio propriè accepta, est intuitiva cognitio: Ergo cognitio quam habent Propheta de rebus futuris, est intuitiva.

Respondeo Prophetas dici videntes, ratione claritatis quâ cognoscunt aliquando futura, non verò ratione intuitionis; etenim cognitio clara, contrapositivè ad obscuram, visio dicitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Christi anima per scientiam inditam cognoverit omnes creaturas posibles?

Ratio dubitandi est, quia animæ Christi, utpote Verbo Divino hypostaticè unitæ, attribuenda est omnis perfectio possibilis: Sed non implicat totam possibilem collectionem extra verbum per scientiam infusam cognosci: Ergo de facto ea fuit ab anima Christi cognita. Major ex supra dictis patet, Minor probatur primò. Ubi cumque D. Thomas negavit animæ Christi ut possibilem omnium possibilem cognitionem, id probavit, quia ex illa sequeretur comprehensio omnipotentæ, quæ repugnat intellectui creato, ut constat ex dictis art. 2. disputationis præcedentis: At hæc ratio non militat in cognitione collectionis possibilem extra verbum, nam comprehensio causæ non infertur nisi tantum ex cogni-

H H H

tione suorum effectuum in ipsa, & ex ipsa; nisi enim isto modo cognoscantur, non cognoscitur causa quantum cognoscibilis est, quod ad illius comprehensionem exigitur: Ergo non implicat totam possibilem collectionem extra verbum per scientiam infusam cognosci.

Secundo, Si implicaret omnium possibilem quidditativa cognitio, idem esset quia infinita sunt: At hæc ratio est nulla: Ergo &c. Minor probatur: Infinitas Dei est major, quam infinitas collectionis possibilem; cum hæc sit tantum infinitas multitudinis, & per participationem, illa vero infinitas per essentiam: At infinitas divina non obstat quominus possit ab intellectu creato per cognitionem finitam quidditative cognosci: Ergo nec infinitas collectionis possibilem obstat potest, quominus ab intellectu creato per lumen finitum, & finitam cognitionem quidditative possit cognosci.

Tertio, Si repugnaret totam creaturarum possibilem collectionem ab anima Christi per scientiam infusam cognosci, idem esset, quia sicut Deus eo quod infinitus est, non potest quidditative representari per aliquam speciem creatam, ut Tractatu de visione beata ostensum est: ita etiam cum tota rerum possibilem collectio infinita sit, non videtur eam posse per speciem aliquam creatam representari: Sed hæc ratio non valet: Ergo non implicat totam possibilem collectionem extra verbum per scientiam infusam cognosci. Minor probatur assignando duplicem rationem discriminis quæ reperitur inter speciem quæ Deum quidditative repræsentaret, & eam quæ repræsentaret totam collectionem rerum possibilem. Prima est, quia species quidditativa debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto, saltem quoad gradum, ut loco citato monstravimus: implicat autem speciem finitam convenire cum Deo in gradu immaterialitatis, quia gradus immaterialitatis divinæ, excludit nedum materiam physicam, verum etiam metaphysicam, id est potentialitatem omnem, quæ exclusio nulli entitati finitæ potest competere: non autem repugnat entitati finitæ, cum tota collectione possibilem, quamvis infinita sit, in gradu immaterialitatis convenire; & idem non repugnat entitati finitæ, totam collectionem possibilem quidditative repræsentare.

Secunda ratio discriminis est, quia species quidditativa petit univocam convenientiam cum objecto representato, ut loco citato ostendimus; repugnat autem convenientia univoca entitatis finitæ cum Deo, non verò cum tota collectione possibilem, & idem implicat species entitative finita, repræsentans Deum quidditative, non autem repugnat quod species finita entitative, repræsentet quidditative totam collectionem possibilem. His tamen non obstantibus

216. Dico, Christi animam per scientiam inditam non cognovisse omnes creaturas posibles. Ita communiter docent Theologi, tam domestici, quam extranei, probaturque primò hac ratione. Inconveniens est asserere animam Christi plura cognovisse extra verbum per scientiam infusam, quam in verbo per scientiam beatam: Sed per scientiam beatam non cognovit in verbo omnes creaturas posibles: Ergo nec per scientiam infusam cognovit extra verbum totam rerum possibilem collectionem. Minor disputatione præcedenti art. 2. probata fuit, Major verò ostenditur primò, quia scientia beata est superior ad infu-

A sam: Ergo Christi anima per scientiam infusam non debuit plures creaturas cognoscere, quam per beatam. Secundo, Scientia rerum extra verbum, quæ infusa dicitur, comparatur ad cognitionem creaturarum in verbo, quæ scientia beata appellatur, sicut lux vespertina ad matutinam, ut colligitur ex Augustino lib. 2. super Genesim ad litteram cap. 8. & lib. 11. de civit. cap. 7. & alibi sæpe: At per lucem vespertinam non plura videntur, quam per matutinam: Ergo anima Christi non plura cognoscit extra verbum per scientiam infusam, quam in verbo per scientiam beatam.

Probatur secundo conclusio aliâ ratione. Licet animæ Christi attribuenda sit omnis perfectio possibilem, quæ illius modo connaturali operandi non opponitur; quæ tamen illius modum connaturalem operandi non servat, ei concedenda non est: Sed talis est omnium possibilem cognitio extra verbum: Ergo illa animæ Christi non debet attribui. Major patet, Minor probatur. Connaturale est animæ Christi, ut recipiat species in minori universalitate quam Angeli, ut docet Divus Thomas hic art. 6. Sed omnium possibilem cognitio haberi nequit absque specie in anima Christi recepta, quæ universalior sit speciebus mentibus Angelorum infusis: Ergo cognitio totius collectionis possibilem, non servat connaturalem modum operandi animæ Christi.

C Ex quo patet solutio ad rationem dubitandi initio propositam, responderetur enim, quod quando dicitur animæ Christi tribuendam esse omnem perfectionem possibilem, hoc intelligendum est de perfectione possibili, servante connaturalem modum, operandi debitum animæ Christi non verò de illa quæ modum operandi animæ Christi connaturalem non servat: unde quamvis satis probabile sit, non implicare totam possibilem collectionem extra verbum per scientiam infusam cognosci, idque tria argumenta supra adducta probabiliter ostendant; nihilominus quia talis cognitio non servat connaturalem modum operandi animæ Christi, ei concedenda non est. Quare D. Thomas quæst. 20. de verit. art. 5. cum sibi primo loco hoc argumentum opposuisset: *Quicumque scit majus, potest scire minus: Sed Deus est majus quam quidquid potest facere, quia quidquid potest facere creatum est: Ergo cum anima Christi cognoscat Deum, multo magis potest cognoscere quidquid Deus potest facere: sic respondet. Ad primum dicendum, quod quidquid Deus potest facere est minus quam ipse Deus, & facilius possit ab anima Christi cognosci, si anima Christi per se offerretur quidquid Deus potest facere, sicut per se ei præsentatur ipse; nunc autem ea quæ potest facere Deus, vel quæ fecit, non offeruntur anima Christi in seipsis, sed in verbo. & idem ratio non sequitur.* Quibus verbis S. Doctor non denegat animæ Christi omnium possibilem cognitionem extra verbum, eo quod talis cognitio implicet contradictionem, sed quia de facto omnia possiblem non representantur illi per species ipsi infusas, cum hoc superet modum connaturalem operandi animæ Christi; quia ipsi connaturale est, ut recipiat species minus universales, quam sint angelicæ, quæ omnia possiblem non representant.



ARTICVLVS VII.

*Utrum Christi anima per scientiam infusam
evidenter cognoverit mysterium Trini-
tatis, quoad an est?*

119. **N**egativam partem docent Vazquez hic disp. 53. cap. 1. & Lorca disp. 50. Alvarez verò disp. 62. licet cognitionem claram existentiae huius mysterij, scientiae illi tribuat, dicit tamen eam non esse evidentem, nisi evidentia in attestante.

§. I.

Vera sententia statuitur, & probatur.

- D**ico tamen, animam Christi, per scientiam inditam, cognoscere mysterium Trinitatis quoad an est, idque evidenter, evidentia non in attestante, sed per speciem infusam, in qua quidditative visionem suam beatam extra Verbum contemplatur. Ita Cajetanus hic art. 1. Ferrariefis 3. contra Gent. cap. 62. Joannes à S. Thoma, Cipullus, Cabrera, & alij Thomistae communiter.

120. Primam partem huius conclusionis probant Alvarez, & alij ex nostris Thomistis, hoc discursu. Christus, in quantum erat viator, cognovit mysterium Trinitatis, nam ut viator saepe de illo locutus est, ut instrueret Judaeos, & ut viator Deum ut trinum oravit, quod sine ejus cognitione praestare non potuit: Sed Christus, in quantum viator, non potuit cognoscere mysterium Trinitatis, nisi per scientiam infusam: Ergo per talem scientiam illud cognovit. Minorem probant, quia fides per quam ceteri viatores mysterium Trinitatis cognoscunt, non erat in Christo; scientia verò beata, Christo ut viatori non competebar, sed ut comprehensori: Ergo quatenus erat viator, mysterium hoc non nisi per scientiam infusam cognoscere potuit.

121. Hæc tamen ratio non urget, licet enim Christus ut viator Deum ut trinum cognoverit, idque perperam neget Vazquez loco citato num. 7. Dici tamen potest, hanc mysterij Trinitatis notitiam, elicita fuisse à Christo, mediante lumine prophetico, quod ipsi ut viatori competebar, non verò mediante scientia infusa, quæ, ut infra dicemus, à lumine prophetico distinguitur. Unde hæc ratione prætermittitur.

122. Probatur prima pars conclusionis contra Vazquezum & Lorcam, ratione quam D. Thomas hic art. 1. insinuat. Per scientiam inditam redacta est ad actum omnis potentialitas animæ Christi, non solum naturalis, sed etiam obedientialis, ut ex supra dictis patet: Atqui in anima Christi est potentia obedientialis ad cognoscendum mysterium Trinitatis extra verbum, per scientiam infusam; hæc enim cognitio ex nullo capite repugnare videtur scientiæ inditæ animæ Christi, ut constabit ex solutione argumentorum: Ergo anima Christi per scientiam inditam extra verbum cognoscit mysterium Trinitatis.

123. Probatur etiam eadem pars ex fundamentis quæ supra art. 3. statuimus; bi enim ostendimus, quod anima Christi per scientiam infusam cognoscit quidditative, imò & comprehensive, entia supernaturalia creata: Sed hæc cognitio haberi non potest sine cognitione evidenti mysterij Trinitatis quoad an est: Ergo per scientiam infusam clare cognoscit Christus mysterium illud quoad

Tom. IV.

A an est. Minor probatur: Objecta dicentia habitudinem transcendentalem ad Deum ut unum & trinum, non possunt comprehensive, imò nec quidditative cognosci, nisi simul cognoscatur evidenter per eandem cognitionem Deus ut unus & trinus, quoad an est: Sed entia supernaturalia creata, v. g. visio beatifica, vel actus fidei, dicunt habitudinem transcendentalem ad Deum ut unum & trinum: Ergo non possunt quidditative cognosci, absque eo quod simul eadem cognitione cognoscatur evidenter trinitas personarum, quoad an est. Minor est certa, visio enim beatifica, cum sit cognitio quidditativa Dei, dicit essentialiter habitudinem ad Deum secundum quod est in se, atque adeo ad Deum ut trinum in personis. Major verò inde probatur, quod implicet manifestè rem quæ habitudinem transcendentalem dicit ad aliquem terminum, evidenter sive quidditative cognosci, non cognito evidenter ejus termino, saltem quoad an est.

B Quod verò hæc cognitio non fuerit in attestante, sed in specie, indirectè tale mysterium quoad an est repræsentante, & directè visionem beatificam, probatur contra Alvarez. Cognitio evidens in attestante de mysterio Trinitatis quoad an est, non pertinet ad scientiam inditam: Ergo cognitio evidens quam habuit Christus de mysterio Trinitatis quoad an est; non fuit cognitio in attestante, sed in specie directè ei visionem beatificam repræsentante. Consequentia patet, probatur Antecedens. Cognitio evidens Trinitatis solum in attestante, est per medium omnino extrinsecum objecto, videlicet per revelationem divinam: Ergo non pertinet ad scientiam inditam, utpote quæ sicut alia scientiæ procedere debet per medium objecto intrinsecum, aliàs non esset scientia.

C Confirmatur: Decebat quod anima Christi perfectius, subindeque clarius, extra verbum mysterium Trinitatis quoad an est cognosceret, quàm ceteri homines: Ergo cum plures ex hominibus habuerint (ut concedit Alvarez) extra verbum in attestante notitiam evidentem illius mysterij, quoad an est, anima Christi debuit perfectius illud extra verbum cognoscere, atque adeo per aliquam speciem, non quidem directè, sed indirectè ipsum repræsentantem, qualis est ea quæ in cognitione suæ visionis beatificæ utebatur scientia ipsi indita.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò contra primam partem conclusionis: D. Thomas hic art. 1. expressè asserit Christum per scientiam infusam non cognovisse essentiam divinam, sed solum per scientiam beatam: At si Christus per scientiam infusam mysterium Trinitatis cognovisset, etiam per illam cognovisset divinam essentiam, cum enim mysterium Trinitatis consistat in eo quod divina essentia in tribus personis subsistat, non potest dari evidens illius cognitio, nisi ipsa Dei essentia evidenter cognoscatur: Ergo juxta D. Thomam, Christus per scientiam infusam non cognovit mysterium Trinitatis: quoad an est. Hoc testimonium ita exagerat Vazquez, ut dicat Thomistas qui oppositum docent, non legisse Divum Thomam.

Sed mirum est, hunc Authorem ita fuisse hallucinatum.

H H h h ij

cinatum, ut sententiam nostram non viderit in D. Thoma, hoc ipso loco quem citat pro se, id est art. 1. hujus questionis: Nam ibidem S. Doctor ait Christum per scientiam inditam cognovisse omnia illa quæ per revelationem divinam hominibus innotescunt, sive pertineant ad donum sapientie, sive ad donum prophetie, sive ad quodcumque donum Spiritus Sancti. Sed manifestum est, per fidem & divinam revelationem, & per donum sapientie vel prophetie, mysterium Trinitatis à fidelibus & Prophetis cognosci quoad an est: Ergo pariter Christus per scientiam infusam illud agnovit quoad an est. Unde quando Sanctus Thomas à cognitione scientie infusæ excipit divinam essentiam, loquitur de cognitione divinæ essentie in se, immediata, & intuitiva, quæ solum habetur per scientiam beatam, seu visionem beatificam, non verò de cognitione Dei, & divinæ essentie, quoad an est, & mediata, cum per effectus Dei naturales & supernaturales evidenter ostendatur, Deum esse, ejusque natura & attributa manifestentur. Ita explicat S. Thomam Cajetanus hic art. 1. paulò post principium, ubi ait: *Dei essentia excepta est, quia non cognoscitur naturaliter, nec per revelationem; & intellige revelationis nomine, quemcumque influxum speciei cujuscunque intelligibilis, & per cognitionem divinæ essentie, non quamcumque cognitionem, sed visionem illius. Novit siquidem anima Christi per scientiam inditam, divinam naturam multò magis quam quicunque Philosophus, imò quàm anima separata, & Angeli naturali cognitione, quoniam clarà revelatione novit Deum esse trinum in personis. & alia hujusmodi spectantia ad supernaturalem ordinem, quæ Angelorum naturalem cognitionem excedunt. Sed quia per eam non videbat divinam essentiam, quam per scientiam beatam videbat, ideo excepta est cognitio essentie à scientia indita.*

128. Obijcies secundo: Per scientiam inditam solum cognoscuntur illa quæ sunt representabilia per propriam speciem: At mysterium Trinitatis non est representabile per propriam speciem, etiam quoad an est: Ergo non cognoscitur à Christo per scientiam inditam. Minor est certa, ut enim in Tractu de visione beata ostensum est, impossibile est species immediatè representans Deum, quandoquidem deberet esse ejusdem immaterialitatis cum Deo, & cum ipso univocè convenire. Major verò probatur: De ratione scientie indite est terminari ad objectum in proprio genere, hoc est non in alio objecto prius cognito: Ergo ea solum per talem scientiam cognoscuntur quæ sunt representabilia per propriam speciem.

129. Respondeo Majorem esse veram de illis quæ immediatè cognoscuntur per scientiam inditam, non verò de illis quæ cognoscuntur mediatè; alias neque potuisset anima Christi per hanc scientiam cognoscere ex creaturis Deum ut est unus, quod nullus dixit. Quando verò dicitur, scientiam inditam terminari ad suum objectum in proprio genere, non est sensus, quod per illam solum cognoscantur res per proprias species, & non mediante alio objecto prius cognito; sed quod scientia indita non terminatur ad objectum ut visum in Deo, sicut scientia beata, per quam creaturæ in Deo ut in causa cognoscuntur.

130. Obijcies tercio: In specie effectus supernaturalis nequit evidenter cognosci per scientiam inditam mysterium Trinitatis, etiam quoad an est:

A Sed visio beatifica animæ Christi est effectus supernaturalis: Ergo in specie creata talis visionis nequit Christus evidenter cognoscere Trinitatem, etiam quoad an est. Major probatur: Ut in specie effectus supernaturalis evidenter cognoscatur mysterium Trinitatis, etiam præcisè quoad an est, necesse est quod talis effectus dicat habitudinem ad Deum ut trinum: Sed nullus effectus, etiam supernaturalis, dicit habitudinem ad Deum ut trinum, sed solum ad Deum ut unum; cum enim relatio effectus ad Deum fundetur in ipsa sui creatione, seu productione ab illo, Deum solum ut creatorem respicit, subindeque non ut trinum, sed ut unum, quandoquidem vis creativa, cum sit communis omnibus personis, pertinet ad unitatem essentie: Ergo &c.

B Respondeo distinguendo Majorem: In specie effectus supernaturalis ipsum representante solum ut est effectus, nequit evidenter cognosci mysterium Trinitatis, concedo Majorem. In specie effectus supernaturalis, quæ non representat ipsum solum ut effectum Dei, sed etiam ut objectum dicens habitudinem ad Deum, prout est in se, qualis est species quæ uritur scientia indita animæ Christi ad cognoscendam visionem beatificam, nego. Licet ergo nullus detur effectus Dei, qui illum respiciat ut est trinus, tanquam causam efficientem sui, quidam tamen sunt effectus supernaturales, qui Deum ut trinum tanquam objectum respiciunt, & ad illum dicunt ordinem transcendentali (sicut visio beata, & actus fidei quo credo Deum esse unum & trinum) qui proinde nequeant ab anima Christi quidditative & comprehensive, per scientiam infusam cognosci, nisi per eandem scientiam evidenter cognoscatur mysterium Trinitatis quoad an est, ut in secunda probatione primæ partis conclusionis declaravimus.

C Obijcies quarto cum Alvare contra secundam partem conclusionis: Christus cognovit mysterium Trinitatis evidenter in attestante; Sed talis cognitio non potest nisi ad ejus scientiam infusam pertinere, cum scientia beata tale mysterium evidenter in seipso cognoscat: Ergo Christus per scientiam inditam cognovit mysterium Trinitatis evidenter in attestante. Major sic probatur & explicatur ab Alvare: Anima Christi perfectè noverat se inter omnes creaturas intellectuales esse supremam, ratione unionis hypostatice, ac proinde à nulla alia creatura se posse illuminari, & per consequens sciebat Deum esse qui ei mysterium Trinitatis, & omnia alia supernaturalia mysteria immediatè revelabat, quem aliunde clarè noverat nec falli nec fallere posse: Ergo evidenter in attestante cognoscebat mysterium Trinitatis, & omnia alia supernaturalia mysteria: in eo siquidem consistit evidens notitia rei in attestante, ut ex veracitate illius qui aliquid revelat, clarè & evidenter cognita, manifestè inferatur rem illam quam indicat veram esse, hæc enim cognitio non est evidens rei in seipsa, quam, ut suppono, clarè non videt, sed solum in eo à quo revelatur & manifestatur, id est in attestante.

E Respondeo, concessà Majori, negando Minorem, cognitio enim mysterij Trinitatis evidens in attestante, seu ratione testimonij divini illud revelantis & testificantis, non pertinet ad scientiam infusam, sed ad lumen propheticum, cum sit per medium omnino extrinsecum objecto, videlicet per revelationem divinam, sicut supra art. 5.

dicebamus, cognitionem futurorum contingentium in testimonio Dei dicentis, & revelantis ea, non procedere à scientia supernaturali Christo infusa, sed à lumine prophetico, quod à lumine gloriæ, & à scientia infusa distinguitur, per hoc quod lumen gloriæ creaturas in divina essentia ut in causa cognoscit, scientia infusa illas in seipsis contemplatur, lumen autem propheticum, testimonio Dei extincto innititur.

S. III.

Corollaria precedentis doctrine.

134. **E**X dictis colligitur primò, objectum scientiæ infusæ animæ Christi, esse ens creatum, prout in se supernaturaliter cognoscibile.

Paret hoc corollarium: Nam scientia infusa animæ Christi attingit omne ens creatum supernaturaliter in seipso: Ergo sub aliqua ratione omni enti creato communi: Sed non est alia assignabilis, nisi ratio entis creati, ut cognoscibilis in se supernaturaliter: Ergo hæc est objectum specificativum scientiæ infusæ animæ Christi.

135. Colligitur secundò, scientiam per se infusam animæ Christi, esse unum specie habitum: Nam ut ait S. Thomas in 1. dist. 14. quæst. 1. art. 3. quæst. 4. ad 3. *Non qualibet specierum diversitas facit habitum diversum, aliis oportet quod, quot sunt res, tot essent scientiæ: sed diversitas specierum, quæ non reducuntur ad eundem modum cognitionis secundum genus:* Sed diversitas specierum infusarum animæ Christi reducitur ad eundem modum cognitionis secundum genus, nempe ad modum cognoscendi supernaturaliter ens creatum in seipso, cum ratio entis creati, ut cognoscibilis in se supernaturaliter, sit objectum scientiæ infusæ animæ Christi, ut superiori corollario dicebamus: Ergo scientia infusa animæ Christi est unus specie habitus. Nec obstat quod S. Thomas hic art. 6. ad finem corporis sic dicat: *Et ideo scientia indita anima Christi fuit distincta secundum diversos habitus;* loquitur enim de scientia infusa, non pro eo quod dicit in recto, sed pro eo quod importat de connotato, & in obliquo, species scilicet intelligibiles, concurrentes activè, ut exponunt Medina, Aravius, & alij Recentiores Thomistæ, ex Bergomensis in tabula aurea dubio 12. & 16. ubi hæc distinctione conciliat id quod D. Thomas ait hic art. 6. cum eo quod in tertio libro sententiarum docuerat.

136. Colligitur tertio, scientiam infusam animæ Christi distingui à lumine gloriæ, à lumine prophetico, à nostra Theologia, & ab habitu prudentiæ supernaturalis.

Probatur breviter: Habitus & potentiæ distinguuntur per objecta: Sed objectum scientiæ infusæ animæ Christi, distinctum est ab objectis prædictorum habituum: Ergo ab illis essentialiter distinguitur. Major patet, Minor probatur. Objectum luminis gloriæ est divina essentia ut in se clarè & intuitivè cognita, objectum luminis prophetici est ens supernaturale, cognoscibile ratione divini testimonij, seu revelationis Dei evidenter vel obscurè: objectum Theologiæ est Deus, ut subsans revelationi virtuali & mediata: prudentia verò infusa, circa agibilia ut proprium objectum versatur: Sed ens creatum, prout in se supernaturaliter cognoscibile, ab illis objectis distinguitur: Ergo objectum scientiæ infusæ animæ Christi, distinctum est ab objecto luminis gloriæ,

A luminis prophetici, Theologiæ, & prudentiæ supernaturalis.

Colligitur quartò, scientiam infusam animæ Christi, non fuisse discursivam, quoad acquisitionem; bene tamen, quantum ad usum, potuisseque intellectum Christi eà uti discurrendo.

Prima pars hujus corollarij patet, cum enim hæc scientia fuerit divinitus indita, ideoque infusa appelletur, non fuit acquisita per discursum, nec inventionem humanam comparata. Secunda verò, quam Suarez, Vazquez, Delugo, & alij Recentiores negant, est D. Thomæ hic art. 3. ubi docet, quod licet hæc scientia non fuerit discursiva, quoad acquisitionem, fuit tamen discursiva, quoad usum, & quod intellectus Christi eà uti potuit discurrendo. Ratio etiam id suadet: Discursus enim consistit in diversis cognitionibus, quarum una ex alia deducitur: Sed licet anima Christi per habitum scientiæ infusæ potuerit intelligere modo quo intelligunt Angeli, nempe uno actu cognitionis, essentiam & proprietates, quæ repræsentantur per unam speciem infusam; quia tamen iste habitus fuit quoad usum illius voluntati subiectus, potuit, pro voluntatis arbitrio, illo utendo, elicere unam cognitionem non adæquatam cum repræsentatione speciei, per quam sola essentia cognosceretur, & aliam ad solas proprietates terminatam; & consequenter potuit essentiam & proprietates distinctis cognitionibus, quarum una ex alia deducitur, intelligere: Ergo potuit anima Christi uti scientiâ infusâ discurrendo. Unde licet in Angelis sit unicus duntaxat modus intelligendi sine discursu, qui modus, cum sit necessarius, non potest immutari; tamen in Christo est duplex modus intelligendi per scientiam infusam; ut enim convenit cum Angelis, habet eundem intelligendi modum; in quantum verò homo & viator, habet modum connaturalem intelligendi naturæ humanæ, nempe cum discursu, potestque alterutrum eligere, & illo uti per scientiam infusam. Unde Matth. 21. probavit discurrendo se majorem esse Davide, dicens: *Quomodo si filius ejus est, vocat eum Dominum &c.* Qui discursus non potuit esse nisi à scientia infusa, cum per scientiam acquisitam anima Christi mysteria supernaturalia non cognoverit.

Dices: Per speciem immediatam objecti, non potest illius cognitio ex alia cognitione deduci: Sed Christus per habitum scientiæ infusæ, omnia illius objecta cognovit per species immediatas illorum, cum per talem scientiam res creatas extra verbum in seipsis cognosceret: Ergo non potuit utendo habitu scientiæ infusæ, unam cognitionem ex alia deducere, nec proinde discurrere.

Respondeo negando Minorem, & ad illius probationem dico, quod licet Christus per scientiam infusam res creatas extra verbum cognosceret, subindeque eas cognosceret immediate immediatione excludente essentiam divinam, ut medium, non tamen per exclusionem omnis medij; species enim quæ Christus per scientiam infusam cognoscit essentiam substantiæ creatæ, habet rationem medij, in quo & per quod cognoscit proprietates quæ ab illa profluunt, unde licet tales proprietates quidditative, & ut sunt in se, per talem scientiam cognoscantur, non tamen sunt per se notæ, sicut ipsa essentia, sed per aliud, nempe per essentiam cujus sunt proprietates; alioquin per habitum scientiæ infusæ Christus nullum objectum scientificè & demonstrativè cognosceret, subindeque talis habitus non esset scientia, sed intelli-

H H h iij

gentia, seu habitus primorum principiorum, qui solum veritates indemonstrabiles & medio carentes attingit.

139. Colligitur quintò, Christum per scientiam infusam potuisse intelligere sine conversione ad phantasmata, vel cum conversione ad illa, pro voluntatis arbitrio.

Probat: Christus habebat duplicem modum intelligendi, alterum communem Angelis & beatis, ut comprehensor; alterum communem hominibus, ut viator: Atqui per primum erat omnino independens à phantasmatibus; tum quia habebat species infusas à Deo, sicut Angeli; tum etiam quia habebat dominium supra suum corpus, ut beati: Ergo ex eo capite non debebat necessariò uti phantasmatibus. Similiter ut viator habebat communem modum intelligendi cum aliis hominibus, utendo sensibus & phantasmatibus: Ergo ex eo capite poterat se convertere ad phantasmata, ut in ipsis rebus, velut in speculis & exemplis, videret quæ per scientiam infusam cognoscebat.

140. Confirmatur: Quia scientia per se infusa, etsi supernaturalis sit, fuit tamen in modo operandi proportionata naturæ humanæ, & modo naturali cognoscendi intellectus humani, qui est per discursum intelligere, potuit Christus illà uti discurrendo, ut præcedenti corollario ostensum est: Atqui etiam modus connaturalis intelligendi animæ corpori unitæ, est intelligere speculando phantasmata, & convertendo se ad illa: Ergo eadem ratione Christus potuit uti scientiâ infusâ, convertendo se ad phantasmata. Quod ut magis percipiat, & argumento quod in contrarium fieri posset occurratur.

141. Notandum est cum D. Thoma in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. quod intellectus habet se ad phantasmata dupliciter: Vno modo sicut accipiens à phantasmatibus scientiam quod est in illis qui nondum scientiam habent secundum motum qui est à rebus ad animam. Alio modo secundum motum, qui est ab anima ad res, in quantum phantasmatibus utitur quasi exemplis, in quibus inspicit quod considerat, cuius tamen scientiam prius habebat in anima. Quamvis ergo scientia infusa animæ Christi non posset primo modo à phantasmatibus dependere, cum ab illis non posset species accipere, eò quod species tali scientiæ deservientes habitæ sint per infusionem; bene tamen secundo modo, potuit enim Christus uti tali scientiâ, ponendo species super phantasmata, & in ipsis phantasmatibus objectum sensibile inspicendo, quod aliàs in seipso poterat per tales species cognoscere. Sicut ille qui potens aliquid objectum videre in seipso, voluntariè visum ad speculum applicat, illudque in speculo intuetur.

242. Colligitur sextò, scientiam infusam animæ Christi, non fuisse semper in actuali consideratione omnium objectorum ad quæ poterat se extendere, imò nec fuisse necessariò cum cognitione actuali alicujus objecti conjunctam; quia licet talis habitus esset supernaturalis & infusus, fuit tamen voluntati humanæ Christi, quantum ad usum subiectus; eo modo quo habitus charitatis, licet sit supernaturalis, subditur tamen nostræ voluntati quantum ad applicationem & usum; unde sicut habitu charitatis utimur quando volumus, & quantum volumus; ita & anima Christi utebatur scientiâ infusâ quando volebat, & per ipsam ea solum objecta considerabat, ad quorum considerationem illam applicabat.

A Colliges septimò, scientiam infusam Christi, esse quidem superiorem scientiâ Angelorum, non solum quantum ad claritatem & certitudinem, sed etiam quantum ad numerum scitorum, cum per eam Christus cognoscat plura mysteria gratiæ, & futura contingentia, nec non occultas cordium cogitationes, quæ Angelis non revelantur, ut constat ex dictis art. 4. Esse tamè scientiâ angelicæ inferiorem, quantum ad modum cognoscendi qui est naturalis animæ humanæ, nempe modum cognoscendi per discursum, & per conversionem ad phantasmata, ut ait S. Thomas art. 4. & quantum ad species quibus utitur; quia, ut idem S. Doctor art. 6. docet, species animæ Christi infusæ, sunt minds universales, quam species Angelis inditæ; quia sunt commensurate intellectui humano Christi, qui non est ita perfectus sicut intellectus angelicus.

DISPUTATIO XVIII.

De scientia Christi acquisita.

Ad quæst. 12. D. Thomæ.

P Ostquam S. Doctor de scientia beata & infusa animæ Christi disseruit, ut totum de scientia Christi Tractatum persolvat, agit de scientiâ à Christo acquisita, circa quam pauca occurrunt, articulis sequentibus discutienda.

ARTICVLVS PRIMVS.

Verum præter scientiam beatam, & infusam, constituenda sit in anima Christi Domini scientia per se acquisibilis?

§. I.

Quibusdam præmissis conclusio affirmativa statuitur.

N Otandum primò: quod scientia per se acquisibilis illa dicitur, quæ tamen de facto à Deo aliquando infundatur (qualiter omnes scientias naturales fuisse Adamo in primo conditionis instanti infusas, docet D. Thomas 1. p. quæst. 94. art. 3.) per se tamen & connaturaliter petit nostris actibus acquiri; ad differentiam scientiæ infusæ per se, cui vel repugnat essentialiter nostris actibus acquiri, vel licet possit de potentia absoluta illis effici, per se tamen & connaturaliter petit per infusionem haberi.

E Notandum secundo: hic solum nos inquirere, an in Christo fuerit scientia quæ per se & ex natura sua ab homine acquisibilis est. Utrum verò Christus eam per accidens habuerit per infusionem, sicut Adamus, vel illam de facto propriis actibus sibi comparaverit, sicut nos eam acquirimus, dicemus articulo sequenti. His præmissis, pro resolutione difficultatis propositæ,

Dico breviter: constituenda est in anima Christi Domini scientia ex genere suo acquisita. Ita communiter docent Theologi cum S. Thoma supra quæst. 9. art. 4. excepto Richardo; licet enim pro opposita sententia referantur D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, & Durandus; illi tamen